









1734.

1<sup>a</sup>-<sup>c</sup> Bochmerus, Tostus Hemmigus : De executione penam  
in supplicatione veluti facienda. 2 Decrpt. 1734-1740.

2. Bochmerus, Tostus Hemmigus : De conferendis bonis se-  
cundum ius Saxoniam Electorale.

3. Bochmerus, Tostus Hemmigus : De obligatione ad revelan-  
dum occultum.

4<sup>a</sup>-<sup>c</sup> Bochmerus, Tostus Hemmigus : De successione hereditaria  
conjugum ex pactis sakaletus. 2 Decrpt. 1734-1741.

5<sup>a</sup>-<sup>c</sup> Carrath, Joannes Tabes : De imaginaria acquisitio  
probationis presentando perjurio. 2 Decrpt. 1734  
et 1749.

6. Passerini, Simon Petrus : De usu et abuso applicationum  
et rescriptorum like pente.

7. Heinoccius, Izaac Gottlieb : De prescritione annali juris  
Lubecensis, o jure communi diversa.

8. Hinneccius, Ioan. Gottlieb : De testamenti factione jure Germanico actis limitibus perim circumscripta
9. Hinneccius, Ioan. Gottlieb : De marito, tubore et curatore uxoris legitimis.
- 10 Hoffmann, Fridericus : De ebore fossili Suevico - Halensi
11. Hoffmannus, Fridericus : De causa et circumspecta venae det's accusatiōne.
12. Funckerus, Joannes : De ignobilissimo, ingratissimo multorum notitiam hospite.
13. Funckerus, Joannes : De prognosi Hippocratis, quod febris solvat a poplexiam.
14. Funckerus, Joannes : De motum augmento post hemicr. p̄s tam naturales quam artificiales sappiis observando
15. Schierschmidius, Dr. Tortinus : Impunitiorum culpe ciri-  
cem . . . publicae eructorum disputationi vobis iste.





15

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**ANIMALIBVS HUMANORVM  
CORPORVM INFESTIS  
HOSPITIBVS**

Von denen Bauch-Würmern.

QVAM

AUSPICE SVMMO NVMINE  
EX CONSENSV ATQVE AVCTORITATE GRATIOSÆ  
FACVLTATIS MEDICÆ

IN ALMA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

**DN. FRIDERICO HOFFMANNO**  
ACADEMIÆ ORDINISQUE MEDICORVM SENIORE  
ET h. t. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
MORE MAIORVM RITE CAPESSENDIS

H. L. Q. C.

D. Maij MDCCXXXIV.

PLACIDÆ ERVDITORVM VENTILATIONI EXHIBET  
AVCTOR RESPONDENS

**SAMVEL DE DRAVTH**  
CORONA - TRANSILVANVS SAXO.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ  
Typis Ioh. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

IV. E. 1. 6



CONSUMMATÆ ERUDITIONIS VIRIS  
ILLVSTRBVS MAGNIFICIS EXCELLENTISSIMIS  
**DN. FRIDERICO HOFFMANNO**  
COMITI PALATINO CÆSAREO, FRIDERICIL REGIS PRVS-  
SIAE CONSILIARIO ET ARCHIATRO, ACADEMIAE FRIDERICIANÆ  
ET ORDINIS MEDICORVM SENIORI, SOCIETATIS SCIENTIARVM  
IMPERATORIÆ CAROLINÆ, NEC NON PETROPOLITANÆ, REGIÆ  
BRITANNICÆ ET PRUSSICÆ, SODALI, h. t. FACULT. MED.  
DECANO, PRÆCEPTORI AC PROMOTORI SVO  
GRAVISSIMO,

**DN. MARTINO SCHMEIZEL**  
POTENTISSIMI REGIS PRUSSIÆ CONSILIARIO AVLICO,  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA IURIS ET HISTORIARVM  
PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO,

**DN. JO. HENRICO SCHVLZE**  
MED. DOCT. EIVSDEMQUE UT ET PHILOSOPHIÆ, ELO-  
QUENTIÆ ET ANTIQVITATVM PROFESSORI PVBLICO ORDINA-  
RIO, ACADEMIAE CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSOR. ET RE-  
GLÆ PORVSSICÆ SODALI, PRÆCEPTORI PISSIME

COLENDO,

PATRONIS  
SVBMISSÆ OBSERVANDIS

PARI.

PARITER  
SUMME VENERANDO CLARISSIMO QVE  
DOMINO

DN. DANIELI HENRICO BIR-  
THALMER  
ECCLESÆ NEAPOLITANÆ IN TRANSILVANIA PASTORI  
MERITISSIMO, ANTISTITI VIGILANTISSIMO, PATRVO  
OBSERVANDISSIMO,

DN. IOANNI ALBRICH  
MEDICINÆ DOCTORI EXPERIENTISSIMO, PHYSICO CIVI-  
TATIS CORONENSIS IN TRANSILVANIA ORDINARIO CELE-  
BERRIMO, EIVSDEMQVE AMPLISSIMI SENATVS ASSESSORI  
SPECTATISSIMO, PRÆCEPTORI QVONDAM AD CI-  
NERES COLENDO.

DN. MARCO TARTLERO  
ECCLESÆ LVTHERANO - EVANGELICÆ, QVÆ CORO-  
NÆ TRANSILVANORVM EST, DIACONO CATHEDRALI BENE  
MERITO, PRÆCEPTORI QVONDAM OPTIMO,  
DENIQUE

MATRI SOCIISQVE SANGVINIS  
EXIGVAS STVDIORVM ACADEMICORVM PRIMITIAS  
D. D. D.

AVCTOR

ILLVSTRES  
EXCELENTISSIMI AC SVMME REVERENDI  
DOMINI.



Vcubrationum mearum Academicarum  
primitias, quas adolescentiae calor ad-  
huc excudit, præsentes nimirum ingenii  
mei aut partus aut abortus, ad lucernam  
exploraturus, typis subjeci, eosque qua-  
lescumque tamquam memoris animido-  
cumentum ILLVSTRIBVS, EXCELENTISSIMIS ac  
SVMME REVERENDIS VESTRIS NOMINIBVS in-  
scripsi. Reperi enim eos plerosque tales, quorum ego  
nouerca fieri, quam parens audire mallem. Nec longe  
jam aberat, quin deformes istos liberos in cunis præfoca-  
rem, cum amicorum apud me preces valuerunt, quod  
dicerent, sœuire me gravius in tales non posse, quam si par-  
cerem, peius enim interituros, si lectorum judiciis permit-  
teren-

terentur. Pepercit. Sed ii, quum satis aduerterent, neque domi se contra autoris tædia munitos ; nec foris in turba fore securos, TVTORES sibi quærendos censuere, quorum beneuolo sinu excepti protegerentur. Et tales ex animi sententia me in VOBIS reperisse certe gratulor, quod me cum VESTRA suauitas mihi promittere jubet, tum illud queque judicium, quod & antehac mea quædam (æque ac modo tenuia) conamina non pro�us consueritis aspernanda. Probe enim memini, quanto mihi & in scholis patriæ & in Academiis fida & indefessa VESTRA in me erudiendo opera fuerit incitamento, oblectamento, ita, vt me in patria Angelicorum quasi DOCTORVM ; in Academia vero HIPPOCRATIS GERMANIÆ atque MACHAONIS discipulum indignissimum fuisse, affirmare audeam. Quoties enim ad scholas vestras veni, aut sanior redii aut sanabilior, selectum jam mecum trahens *ψυχής ιατρόν*, medicam animæ officinam mihi Patriæque, quod DEVS feliciter euenire jubeat, proficiam. Suscipe ergo hoc, et si leuius & personis VESTRIS non satis dignum munusculum, serena, pro more VESTRO, fronte, meque eo, quo ante dignati estis, fauore amplectimini. DEVS T. O. M. VOS cum splendidissimis Familiis VESTRIS omni benedictionis genere exornet & plurimos adhuc annos rebus humanis interesse sinat. Me interea perpetuam beneficiorum VESTORVM memoriam ad busta altitrum pie promitto. Dabam Halæ Magdeb. e Museo d. 17. Aprilis. A. d. 15 cc xxxiv.

DISSER-



Q. D. B. V.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

ANIMALIBVS HUMANORVM CORPORVM  
INFESTIS HOSPITIBVS.

PROOEMIVM.

**P**Hilosophandum esse paucis crebro audias ex ore virorum sapientum, inque scriptis eorum saepe legas. Evidem operae existimo pretium districere, quantum sit tribuendum huic praecepto. Dum paucis philosophari jubetur, vel paucis permittitur hominibus philosophiam attingere & tractare; vel id, quod nimium est in hoc genere, praescinditur, vtque sobrietatem commendatam habeamus, nec ita nos speculationibus abdamus, vt nihil possimus ex his, neque ad communem adferre fructum, neque in adspectum lucemque proferre, admoneamur. Priori sensu accipiendum est, quod circumfertur HELMONTII dicerium, nemini philosophandum esse pauperi: quod quidem si nobilis ille per ignem philosophus aliter intellexit,

quani

quam de sua, ex qua censeri cupiuit, per ignem philosophia illaque sublimiori, quæ aureum vellus tota sua vita quererit, videat sane ne justissimo philosophorum judicio ipsem a consortio philosophiæ proscribatur, quæ amatores multos habuit, de quibus constat quod abjecerint res familiares suas & renunciarunt vniuersis voluptatis, ut solam nudamque veritatem ac virtutem nudi expeditique sequerentur. Quid enim magnis opibus opus habet, qui secundum naturam, quæ paucis contenta est, viuere didicit, aliosque docet? Aut an officia hominis & ciuis ille melius peruidebit, libentiusque exercebit, qui magis impeditus est rei familiaris conseruanda & amplificandæ studio, quam qui irritamentis malorum quam minime tentatur. Quod quidem ita contendeo, vt facile largiar aliquas philosophiæ naturalis partes ita esse comparatas, vt non multum progredi in illis possit, cui nullæ suppetunt ad impensas experimentorum sustinendas opes proportionatae. Magnam certe laudem promeruerunt pauci illi, quos numerare licet BOYLAEI, REDI, qui censuum amplissimorum redditus philosophiæ experimentalis consecraverunt.

*Quique sui memores alios fecere merendo,  
Omnibus his niuea cinguntur tempora vitta.*

Forte tamen justius sensum illius effati, quod paucis philosophari permittit, hunc dicemus, vt paucis i. e. di clyps, illa tradamus, quæ pertinent ad speculationem cuiuscunque negotii, amplissime autem & potissimum studio ea consectemur, quæ aliquem ad vitam communem vsum fructumque solidum adferunt. Hancque legem potissimum esse scriptam medicæ artis studio addictis existimo,

mo, quibus parens ejus HIPPOCRATES in ipso limine  
inculcat suum: ARS LONGA VITA BREVIS. Præctica  
est disciplina, quæ tota discitur, vt comparetur habitus  
cum recta ratione effectiuus. Ne quicquam hanc olim  
disciplinam vir & arte & facundia insignis ab sapientiæ  
studio separauit, suasque res sibi separatim habere voluit:  
quum ipse met, rationalem illam esse cupiens, cum phi-  
losophia perpetuum nexum stabiluerit. Neque sane  
poterant ipsum insequuti viri omnino abstinere a ratio-  
nibus e rerum natura quærendis, nisi vellent ignobili  
vulgo adscribi, atque sellulariis hominibus æquiparari.  
Hinc factum est, vt medicina identidem novis affectuum  
pathologiis, agendorumque rationibus, ex naturalium  
rerum scientia mutuatis, exornaretur, quorum vel  
longior duratio fuit, vel breuior, pro eo ac quisque ma-  
jori auctoritate persuadere aliis potuerat, aut facun-  
diiores & addictiores natus sectatores fuerat. Nullo  
autem tempore defuerunt, qui dialekticis artibus fisi  
labe factarent vetera, nouaque proponerent actuerentur:  
non quod conuicti de veritate essent, sed quod accessio  
alterius haberi nimis humile censerent. Hæc ratio ar-  
tem medicam, a bis mille annis toties interpollem, quo-  
tidie mutat: neque dubitandum est fore vt seri nepo-  
tes nostri, si qui post multa saecula futuri sunt, nouas  
metamorphoses, de quibus nobis nec per somnum a-  
liquid repræsentare nunc possumus, cogitando sibi sub-  
jicere possint. Scilicet sunt aliqua, ea que non pauca,  
in rerum potissimum naturalium censu, ad quorum co-  
gnitionem nulla patet via, quantum scilicet ad agendi  
fiendique modos pertinet. In his præclare nobiscum  
agit, si rō òti, seu quid & quod fiant, absque errore af-  
sequimur: rō òti, cur sic & non aliter fiant, forte omnes

B

vsque

vsque ad finem omnium rerum ignorabimus. Atque hic existimo sapientis esse paucis philosophari, nihilque cum contentione & peruvicaci studio tueri, conjecturas aliorum modeste perpendere, suas, ne indoctior videatur si lyra in sympolio oblata canere nesciat, absque arrogantia & ambitione proponere, nec demonstrationes promittere, vbi intra conjecturam subsistere rei ipsius indeoles imperat. Hæc sunt, quæ mihi non potuerunt non in animum venire, quum ab aliquot mensibus bonas horas collocarem relegendis & comparandis istis, quæ de animalibus humanorum corporum incolis a doctissimis viris consignata & litterarum monumentis tradita sunt. Excitauit me, quod profiteor, Excell.D.D. ELIÆ CAMERARIÆ pulcherrima Dissertatio, quæ *Helminthologia intricata* inscribitur, qua celeberrimorum virorum, qui hoc argumentum ex instituto nouissime tractauerunt, diuerissimas in plerisque omnibus sententias uni obtutui subjicit. Accedit hic dissensus cupiditatem meis oculis singula perlustrandi, simulque, quantum librorum præsens copia permisit, ad alias auctores, quorum plerosque celeberrimi viri, ANDRYVS & CLERICVS indicauerunt, expatiandi. Ne vero inutilis esset mihi tot librorum euolutio, enotaui, quæ futuri usibus judicabam idonea; sive factum est ut amplam colligerem materiam: unde, quum per otium in ordinem ea redigerem, enata est præfens dissertatio, quam tanquam industriae rebus medicis impensa specimen exhibeo. Spero autem fore ut nemo mihi vitio versurus sit, si in re multum intricata & doctissimorum virorum dissensu turbata, arbiter sedere ego juuenis nec volui nec potui. Potissimum cupiebam ea, quæ facti,

vt

vt loquimur, res sunt, constituere: quoniam vero & hic dissensus regnat; facile præuidi, aliter me defungi melius incepto labore haud posse, quam si separatis eis, quæ minus dubia sunt, ab illis, quæ plurimum dubitationis habent, historicum potius hic agerem, quam dogmaticum. Spero autem illud me effecisse hac commentatione, vt lector, si quis nostra percurrere velit, plerorumque, qui celebritatem consequuti sunt, virorum sententias pauci temporis impensa recognoscatur, ipsosque fontes adire indicatos facile possit, si plura de his forte requirat. Neque tamen nostram operam in opprobrium artis salutaris verti velim, tanquam æque omnia, vt hæc *lumbricorum doctrina*, incertis ac dubiis. Cogitent, quibus ita videbitur, quam exiguo interuallo, nostra tempora distent ab illis, quibus ex eo auctoritatum duæ mortales trahebantur, & ad omnem certitudinem sufficiebat, si pro te HIPPOCRATEM, ARISTOTELEM, GALENUM, quos honoris caussa nomino, adducere posses. Hæc cogitatio si nondum satis ad excusandos medicos facere videtur; etiam illud perpendatur, quod grandæui inter artis opera aliqui facti sunt, quibus certi vermes numquam omni sua vita obtigerunt vifendi; ex illis vero, quibus obvenerunt, quot sunt, qui se integras lumbricos latos, quamprimum exclusi fuerunt, oculis usurpasse profiteri, idque intelligentibus probare ausiat. Mirum, quod anatomiae, quæ vocatur, practicæ scriptoribus, totque observationum auctoribus, quod quidem meminerim ego, nunquam vifenda in hominis intestinis hærenstantia, seu latus lumbricus fuit oblatus, vt in ipso nido considerari, integer eximi, accurateque delineari posset. Aliiquid igitur,

B 2

tur.

tur, nec id forte minimum, nostri, & post nostrum venturi æui diligentiae hic relictum est: cuius candido iudicio omnem nostræ commentationis fructum permittimus.

*CAPVT I.*TRAIDENS EA, QVÆ AD NOMINA  
PERTINENT.

## §. I.

*Quid sit vermis, ex Andryi doctrina.*

**A**Cturo de animalibus, a quibus humana corpora frequentius infestantur, ante omnia mihi inquirendum esse putau, quid sit vermis: quo eruta, si fieri id possit, vera vi & notione ejus vocabuli, inoffenso pede progredi ad alia liceret. Paucis memet expediturus, consului celeberrimum D. NICOLAVM ANDRY, saluberrinæ Facultatis medicæ Parisiensis doctorem, qui de vermibus corpus humanum infestantibus ineunte hoc saeculo commentatus est. \*) Is vero sermonem ab insectis exorlius, ea diuidit in *majura*, ut sunt colubra, aspis, vipera, scorpio, rana, cetera, quæ generali nomine insectorum comprehendendi docet: *minoræ* autem insecta vermium appellationem sibi deponcere, qualia nominibus recenset suis, mulcam, erucam, papilionem, formicam, pulicem, limacem, lumbreum terrestrem, & animalcula peregrina corporibus hominum, ceterorumque animalium, ipsis fructibus, plantis, lignis, pannis, liquoribus aliisque mixtis innascientia. Et quamquam sunt ex his aliqua, quæ ad conspiquam, immo stupendam magnitudinem excrescere solent,

lent, ut intestinorum lumbrici lati, qui quamcumque serpentinam longitudinem saepe excedunt, differre tamen eos ab his texturæ suæ tenuitate & teneritudine. *Vermis* autem nomen deductum ab eo, quod vere micet, ipsumque nomen Gallicum *ver*, quo vermen denotant, esse ab isto Latino *ver*, quod vernum anni tempus designat. Scilicet minorum insectorum pleraque auctumno exspirant, positis prius infinitis ouulis, quæ blando verni temporis calore exclusa tunc copiosissime producunt prolem parentibus similem.

\*<sup>o</sup>) titulus est libro: *de la generation des vers dans le corps de l'homme*, 1701.

§. II.

Quantum quidem aliis satisfactura sit hæc doctrina, ad intelligendum quid vermis sit, cuiusvis judicio permitto: modo integrum mihi sit profiteri, quod longe incertior, quam fueram, ab libro Andryano discesserim. Quo enim jure rana insectis permixta sit, neutrum video; longeque minus id intelligo, si magnitudo modum ponit, cur scorpious inter insecta majora, limax inter minora, seu vermes, describantur, quum vnius limacis magnitudo multos vtique scorpions supereret. Etymologiam non subjiciam serio examini, quod talia, tamquam ingeniorum saepe lusus, raro sustinent.

*Modesta epis-*  
*critica.*

§. III.

Forte expeditiorem disputationem reddemus, si, quod viro excellentissimo D. D. DAN. CLERICO placet, rem totam inuertamus & vocem *vermis* generaliorem esse dicamus, ira ut hoc nomen omnibus insectorum vermiformium speciebus conueniat. Et fane ac-

*Clerici sen-*  
*tentia, quæ*  
*illustratur.*

B 3

quiesce-

quiescere liceret, nisi obscurum maneret, quid sit *insectum vermiciforme*; adeoque opus esset vermis ideam porro requirere, ut quid sit vermiciforme pareat. Adi itaque philologos & philosophos primumque MATTHIAM MARTINIVM, cuius *lexicon philologicum*, sub titulo *vermis*, hæc habet: *animalculum repens vi oris*. Hoc ex barbarissimis temporibus translatum transeat. Citat mox ARISTOTELIS *hist. animal.* I. cap. V. hæc verba: *Vermis id est, ex quo toto animal totum, per subiectum factus formationem incrementumque, gignitur.* Fere desperabam de his verbis, nisi ab interprete ad fontem venire licuisset. Intellexi ex vitiosa lectione versionem bonam fieri non potuisse, quam, textu pridem per alios emendato, meliorrem hanc, &c., ut puto, perspicuum dat in sua editione I. C. SCALIGER: *Vermis est factus, ex quo, postquam fuerit dearticulatus, οὐ αυτός, aliud animal fit. σωλήνη ἐστὶ τὸν οὐδὲ γίνεται ζῷον, διαφέρειν καὶ αὐξανούντων τὸν κυκλότον.* Sensum hunc capio, vermis nomen proprie competere animalculo, quod rudem formam, sub qua viuere, moueri, cibum capere, augeri, primum conspicitur, justo tempore mutat & in aliam transformatur, ut eruca nuper exclusa in chrysalidem, chrysalis in papilionem abit, ut vermis in auellana, postquam exemptus est, in chrysalidem, inde in muscani transit. Atque sic patet quid *insectum vermiciforme* debeamus intelligere, scilicet *animalculum insectum, ἔρωπον*, hoc est incisuras & annulos suos habens, quod sub prima hac sua forma, ex assumto alimento, colligit & digerit materiam nutrimentosam, vnde deinceps dearticulari possit in nouam formam & ultimam suæ speciei competentem.

§. IV.

*Aristotelis  
definition.*

*quid inse-  
ctum vermi-  
forme*

## §. IV.

Accurate igitur respondere videtur, apud illos vti-  
que, quibus cum cura scribere animus & facultas fuit,  
Græcorum σκώληξ & Latinorum vermis: quod pluribus  
ostendere non grauabor. Primum pro me citabo, PLL-  
NIVM, historiæ naturalis luculentum auctorem, qui pas-  
sim Græcos auctores, quos nec reticet, satis fideliter, si  
non ubique feliciter, interpretatur. Is vero libr. XVII.  
cap. XXIV. quo de morbis arborum agit, THEOPHRA-  
STVM ERESIVM manifeste sequitur, quod DALE-  
CHAMPIVS indicat. Vbi vero notatum a Græco-  
auctore suo primum morbum, σκώληωσιν attingit, red-  
dit eum vermiculationem, inque toto illo sermone tam  
hoc vocabulo, quam istis sequentibus, vermiculus & ver-  
miculari frequenter vtitur, quibus Græca σκώληξ, σκω-  
ληξ, σκωληξ, σκωληξ exprimunt. Alterum addu-  
cam SENECA natural. quest. II. cap. 31. ita scribentem:

b) ex Seneca

in venenatis corporibus vermis non nascitur: fulmine icta intra  
paucos dies verminant. Luculentus est hic locus. Lo-  
quitur de corporibus animalium fulmine enecatis. Hæc  
dicit intra paucos dies verminare, id est, vt antecedentia  
docent, verribus scatere. Ut in illis natū sint hi-  
vermes, nondum nunc quærimus: tales autem esse, qui  
metamorphosis subeunt, & in muscas abeunt, toto die  
intuemur. Germani recte, ni fallor, hanc notionem,  
quæ Græcorum σκώληξ & Latinorum vermi responderet,  
exprimunt vocabulo maden.

## §. V.

Sed quorsum hæc de verme disputatio? Paucis Vermis no-  
dicam, & ad rem proprius accedam. Vsque adeo in-  
valuit hodie vermis nomen, vt etiam ex vulgari sermo-  
ne

men an con-  
ueniat ven-  
tris anima-  
bus?

ne in medicorum s<sup>e</sup>pe scholas & libros transeat, vbi de ingratis viui corporis hospitibus loquimur. Mirari itaque subiit, quum CELSVM, SCRIBONIVM LARGVM, PLINIVM, optimos Latini sermonis auctores, ipsumque CAELIVM AVRELIANVM & OCTAVIUM HORATIANVM vermium nomine abstinere intelligerem; inque Gr<sup>a</sup>cis notarem, quod ονωδίαν nomine ad designanda animalcula ventris haud abutantur. NICOLAVS quidem PEROTTVS cornucop. p. 387 citat tamquam CORN. CELSI dictum: *nihil pernicioſius pueris, dum verminant.* quod exponit, *dum vermeis habent*: sed mihi non licuit illud apud CELSVM inuenire, vnde nec dijudicare possum, quo sensu dictum sit, quum *vermina* & *verminare* alio etiam sensu dicantur: de quo videlicet LINDEMII selecta Medica Vlll. §. 43. 44. Merito igitur transimus ad illa nomina & loquendi modos, quibus schola medica iustius in hoc argumento vtitur: quibus tamen dubii juris quedam intermiscebuntur, non sine necessaria admonitione.

### §. VI.

Eo abſtinent  
Latini medi-  
ci.

Gr<sup>a</sup>cii, a quibus ars ad Romanos & Arabas, nosque tandem deriuata est, animalia in corporibus hominum hospitantia descripturi, vocant ἔμπορις. Latini auctores medici eadem conſtanter lumbricos vocant, aut circumscribendo denotant *ventris animalia*, *intestinorum animalia*, *in intestinis animalia nata*; s<sup>e</sup>pe simpliciter *animalia*, vbi scilicet ex contextu sermonis clarum fatis est quae intelligi debeant; aliquando *bestiolas innascentes corpori*. OCTAVIUS HORATIANVS, qui idem sub THEODORI PRISCIANI nomine proſtat, vnico loco, qui lib. II, cap. 17. legitur, *minutos & tennes vermiculos vocat*

cat eos, qui ascaridum nomine notiores sunt; sed eodem capite *minutos* & *tenues*, ut *vermiculos*, dixerat; & generali *lumbricorum* nomine eosdem comprehendenderat: quare ex priori loco dijudicatus posterior efficit, vt nec hic auctor deseruisse vetustiorum vestigia intelligatur.

§. VII.

Quemadmodum Græci nomen *σκωληκός* non transferunt ad *ελμυδας*, *lumbricos* denotandos, sic nechoc *ελμυρού* *nibus* distinximus adhibitum aliis extra intestina in nobis natis animalculis indicandis, sed illa *σκωληκών* nomine veniunt: annotante GORRAEO in *definit. medic.* voce *ελμυδες*. Sed JVL. POLLVX lib. IV. segm. 197. abscessus tunicatos describens, inter contenta ipsorum etiam recenset *ελμυθία*: quod vocabulum est diminutiuum ab *ελμυρού*. Quum vero is POLLVX medicus non fuerit, sed Grammaticus, videndum an satis accurate usus sit illo nomine. Videtur tamen sequutus aliquem medicum aut chirurgum veterem, & forte PHILOXENVM, quem GORRÆVS in *ελεγόνως* citat, quod reperta a se animalia intra humorem tunicatorum abscessuum prodiderit, culicibus aut exiguis muscis similia. Sed Græca Philoxeni verba desidero, & tantisper in medio relinquendo *ελμυθίοις* Pollucis judicium.

§. VIII.

Progredimur ad considerandas species τῶν *ελμυδῶν*, De appella- animalium, quæ intestinis innasci solent, vt de nomi- tione ter- nibus, quæ apud Græcos & Latinos nausta sunt, porro rum & late- exponamus. Faciamus initium ab HIPPOCRATE, rum. qui libro *de morbis* IV. §. XXVII, duarum meminit specie- rum, scilicet τῶν πλατεῖον, *tatorum*, & *σφρυγύλων*, *rotund- a) apud Gra- corum.* Rotundum dici, quod teres alias vocamus, ma-

C

nife-

nifestum puto, *latum* autem, quod non rotundam, sed compressam in planum figuram habet: quem sensum inferius adducenda nomina confirmabunt. Eodem loco HIPPOCRATES, aut quisquis auctor est libri, nomen *rotundum* in alium sensum determinat. Dicit enim quod lumbricus latus, si pharmaco potenter vrgearitur, totus rotundus factus ad pilæ formam, prodeat. Hoc autem de accidentalí mutatione dictum ad ordinarium statum trahi non debet. Accidentalē quoque qualitatem denotat illud epitheton ἔλυμος υποτάχειν, qualem egressum a sene furiosum quid habente memorat *Popular. IV. Sed. XXIX.* Tertium genus, quod *ascariides* vocatur, inuenimus *aphor.* *III. 26.* dictum ab agili motitatione, quae versant: quod intelligimus ex eo, quod HIPPOCRATES de *nat. puer.* sc̄tibus jam in lucem egressuris tribuit *τὸ ασκαρίδην*, lese agitare; quo fit ut membranae pertrumpantur, partusque succedat. HIPPOCRATI in hoc numero consentit ARISTOTELES *histor. animal. lib. V. cap. 19.* qui tamen tanquam quartum genus, adjicet, latorum scilicet partus, oīo *ανισχύρα*, *instar cucumeris seminis*, qui *cucurbitini* in scholis vocantur. Ethos memoravit HIPPOCRATES de *morb. IV.* sed sc̄tum esse latorum negavit: de quo inferius disputabitur.

## §. VIII.

*¶ Apud Latinos.*

Latini veteres auctores, vt CORN. CELS. *lib. IV. 17.* lumbricos *latos* commemorat & *teretes*, videturque sub ultimo nomine complecti simul teretes majores, qui nomen illud proprie gerunt, & minores, quibus *ascridum* nomen tribuitur. Ascaridas apud Dioscoridem HERMOLAVS BARBARVS *tipulam* vertit, RVELLIVS autem *tineam*: quod vtrumque a doctis viris improba-

probatum est. Sed *tinea* nomen etiam apud SCRIBONIVM LARGVM legitur cap. XXXVI & apud PLINIVM & SERENVM SAMMONICVM : quare considerandum est, an sit lumbrici in genere synonymum, an speciem certam denotet. Valde intricatam hanc quæstionem inuenimus, sed forte extricabilem, aut forte jam extricata m̄a doctis viris, RHODIO ad SCRIBONIVM LARG. & CLERICO de *lumbr. lato*, cap. I. Summa huc reddit. Lumbricum latum dicēdant Græci a similitudine *tauwvav*, quasi fasciam. *Tavia*, angustam telam textilem significat, qualibus vtebantur feminæ ad vestes cingendas, capillos religandos, pluresque usus. Illud nomen etiam in Latinum sermonem migravit, tam ad fascias denotandas, quam ad lumbricum latum designandum. Fuit autem tractu temporis in ore hominum, qui nominis rationem aut ignorarunt aut non attenderunt, corruptum, vt *tineam* dicerent pro *tænia*: tandemque ex loquendi usu etiam in libros migravit hæc nominum confusio; vnde euenit vt aliquando *tinea* legatur, vbi manifestum est auctorem scripsisse *tæniam*. Sic SEREN. SAMMONICVS illo capite, cui titulus est : *lumbrice & tineis purgandis*, sine dubio scripsit:

*Quid non aduersum miseris mortalibus addit*

*Natura, interno cum viscere. tænia serpens*

*Et lumbricus edax vivant inimica creanti?*

pro quo tamen editum est *tinea*: quod metri severæ leges hic non admittebant. Deinde eo res venit, vt apud aliquos *tinea* pro lumbrico quovis videatur ponī: vt certe sunt apud PLINIVM & COLVSELLAM, aliosque non medicos, talia loca, ex quibus hoc satis perspicue eluet.

## §. X.

*Quid ex Sea.  
tigeri mente  
sit lumbricus  
seres.*

Antequam longius prouehamur, commemorandus etiam nobis est magnus ille I. C. SCALIGER, qui ad locum ARISTOTELIS supra citatum, (quem in sua editione exhibet cap. XVIII. sect. 213.) reprehendit THEODOR. GAZAM, quod  $\delta\alpha\mu\delta\omega\tau\sigma\gamma\mu\lambda\alpha$  verterit *lumbricus teretes*. Addit rationem censuræ: nam alii sunt plani, lati, non multum a prole sua differentes: alii globosi, quos hic appellat Aristoles *σφρυγύλους*, alti *ιωναγίδες*, qui longi, sunt figura terrefriam: sed differenti etiam, quod aliqui leues, sunt candidi: aliqui fulvi, pilosi. Quæ verba, si mentem rite assequor, id sibi volunt: Latos seu planos prolem emittere globosam, hancque globosam prolem nomine  $\tau\alpha\tau\sigma\gamma\mu\lambda\omega$  esse censendam: ascarides dari majores, lumbricus terrestribus similes, sed accidentalibus quibusdem inter se differentes: dari vero etiam minores, quibus illud nomen schola medicorum reliqua tribuit. Quam diversus hic sit Scaliger a ceteris, facile apparet. Mihi hic aquam hærente tentio, quum requirenti & a doctioribus petenti clara exempla, quod *σφρυγύλον* denotet aliquid *teres* i. e. *cylindraceum*, nondum oblata sint. Ostensa quidem sunt apud IVL POLLVCEM lib. V. segm. 69. 70. *ιωχλα σφρυγύλα*, & *σφρυγύλος τράχηλος* in descriptione leporis: sed, fateor, ideam cylindri aut teretis non inuenio in coxa & collo hujus animalis. Idem quoque lib. I. segm. 82. *σφρυγύλα πλαισια*, *nauies rotundas* memorat & alibi illarum rectores *σφρυγυλονάντας*: sed talia nauigia opponi longis nauibus i. e. belli vibus aptis, & oneribus tantum plurimis ferendis destinatas, ideoque ventricosas fuisse, novi. Et forte ideam nauigii rotundi in mente habuit Scaliger, non vtique rotundi instar sphæræ, sed ventricosi,

cosi, cum qua feminis cucumeris conuenientia facilius inuenitur, ut proles illa latorum lumbricorum, quam pro σεργύδαιοις assumi puto, sit illud ipsum quod Aristoteles ἐν οὐκέτω σπέρμα dicebat. Quod si vero omnino Scaliger nec hos cucurbitos intellexit, nescio quo pācto sensum eliciamus. Maneat itaque & hoc inter cetera intricatae helminthologiae specimina repositum.

§. XI.

Sed redeo, vnde Scaligeri cauſa tantisper deflectendum fuit, & lumbrici lati alia nomina subiungo. EROTIANVS in expositione vocum Hippocratearum aſſert vocem *ἀλυτός*, quam exponit: *μητός λέγονται αἱ πλατεῖαι ἀλυτός propriæ sic vocantur lumbrici lati.* Esse erratum in voce, ſcribendumque *νείρας*, jam dudum monuerunt viri eruditii. Est autem *νείρα* idem quod *τάντα*, *fascia, infita*. Nihil de eo addimus, quoniam nec hodie in extantibus Hippocratis scriptis illud vocabulum occurrit. Recentioris autem nomen eſt *solum*, quod lumbrici lati ſynonymum habetur, & ad ARN. VILLANOVA-NVM refertur. Celeberrimus ANDRY Gallicum nomen eſſe *le solitaire* ſcribit, quaſi qui ſit vnicus in homine. Non licet Villanouanum impicere: ſed etymologia, ab *adjectivo solus* analogie parum bene reſpondet. Forte nec in mentem illa venit Villanouano, aut quisquis primo id nomen introduxit, eſtque ſcriba vel typographi error, qui pro *ſpolio* ſubstituit & inuexit *solum*. Spolium ſerpentis vocatur, quod alias ſeneſtutem ejus dicimus, quam vere inuenire exuit, & cum noua cute permutat. Cur lumbricum latum aliquis hoc nomine denotandum credere, quin placere ſibi noua hac appellatione excogitata potuerit, inferius patebit, quando

*Dereliquis  
lumbrici la-  
ti nomini-  
bus,*

PAVLI AEGINETAE doctrinam retulero. Ab aliquibus etiam *cingulum* vocatam esse tæniam reperio: cuius rationem facile licet perspicere.

### §. XII.

Essent plura, quæ ad nominis tractationem pertinere videantur: quæ tamen mox, ubi rem ipsam proponeamus, commode interserentur. Transimus igitur ad ea, quæ historicam horum animalium notitiam continent.

### CAPVT. II.

## CONTINENS EA, QVÆ AD HISTORIAM PERTINENT.

### §. I.

*Quorum animalium historia sic exspectanda sit.*

Ræmoneo lectorem, parum hic certum exploratumque haberi: quum ad hunc usque diem nemus fere de hoc argumento scripserit, quin eos, qui ante se in eodem versati fuerunt, reprehenderet. Ac prima quidem dissensio est de numero speciesum animalium, qua corpora humana occupare solent, quibusque Græcum nomen *λύματα*, Latinumque *lumbricus* competit. In vestibulo enim disputationis hujus monendum est ranas, bufones, lacertas, erucas, aliaque id genus, quæ in homine fuisse deprehensa sunt animalia, nunc nondum esse in animum admittenda: sed quando queritur, quot sint lumbricorum genera, ad mentem medicinæ scriptorum respondendum esse, dari duo, tria, aut quatuor quinque vel sex genera, ab HIPPOCRATE, ARISTOTELĒ, GALENO, AVICENNA, ho-

horumque interpretibus & sequacibus olim quasi ciuitate pathologica donata.

§. II.

Si GALENO credimus in aphor. Hippocr. comm. 3. <sup>aph. 26.</sup> Hippocrati non nisi duo lumbricorum genera fuerunt nota, scilicet *teretes* & *ascarides*. Negat enim aperte, quod mentionem lati seu plani, quam tamen dici antea significauimus, fecerit. Enimvero in nostris codicibus HIPPOCRATES ample de lumbrico lato agit libro IV. §. 27. Vnde plane sequitur aut non vidisse illum librum, aut, quod vero proprius est, pro non genuino habuisse GALENV. Hippocrati aetate super ARISTOTELES tres lumbricorum species cognovit & docuit, cui etiam GALENS & reliqui medici accesserunt, qui a GALENO discedere piaculum credebant. Atque hunc numerum a Græcis ad Arabes peruenisse reor, sed ab his ad nos, interpretum varia culpa, dubius redit: modo enim latos & cucurbitinos a se disjunixerunt, tamquam distincta esent, modo coniunixerunt: itidemque cucurbitinos mox cum ascaridis eosdem fecerunt, alias diuersos computauerunt. Inde igitur natae sunt multæ dissensiones & varia conciliaturorum studia: de quibus legi potest D. D. CERICVS hist. lat. lumbr. cap. II, qui idem refert, quod a viro arabice docto intellexerit AVICENNÆ adductum quandam locum, male ab interprete redditum, multis præbusse dissensibus occasionem.

§. III.

Scilicet indubium erat dari lumbricos rotundos palam aut spithamam longos, terræ vermis simillimos; nec dubitabatur de rotundis minoribus, qui ascarides

vocan-

*Dissensus de  
numero spe-  
cierum lum-  
bricorum.*

vocantur: lati etiam admittebantur, sed de his diuersa tradebantur. Prodire enim eos saepe seorsim, figuræ compressæ, semini cucurbitæ similes: aliquando, nec raro, in catenæ formam illos sibi mutuo colligari & cohærere, ut vnum numero animal forment, multorum pedum longitudinem æquans: non raro cucurbitinis multis seorsim manentibus circumdari panniculum vel sacrum eos includentem, quem a se conspectum atque simul a ventre rejectum descripserunt, vel sacculi nomine vel lumbrici lati veterum appellatione imposita. Tandem vero alii contenderunt ab illa serie cohærentium multorum cucurbitinorum diuersum esse solium, seu vermem solitarium, verum animal multis articulationibus distinctum & longissimum. Prodeunt igitur ab auctoribus memorati & descripti 1. ascarides, seu teretes parui, 2. teretes, seu rotundi longi, lumbricis terrestribus similes, 3. cucurbitini, seu plani, 4. iidem in longam seriem connexi, cingulum seu tæniam mentientes, 5. rurus iidem sacculo suo inclusi. 6. vera tænia, solium Villanouani, animal vnicum, longum, crebris articulationibus distinctum. Atque de his varia & multiplex est dissensio: longior vtique quam ut referri de eo hic satis possit.

### §. III.

*Controversia  
origo.*

Controversia origo altius repetenda est. Apud Græcos primum, quod nobis deprehendere nunc licet, AETIVS terrabib. ill. serm. I. de lumbrici lati origine sic docuerat: *est latus lumbricus, si ita dicere liceat, permotio pelliculae intrinsecus intestina ambientis, in corpus quoddam vivum, quod continuos stomachi morsus infert, & ad cibos incorrigibilem appetitum. Ejus minime fallax signum erit, si cum*

*si cum incrementis quedam cucurbitæ semini similia excernantur.* Prorsus his similia sunt, quæ PAVLVS AEGINETA libr. IV. cap. 57. de iisdem reliquit. Quumque eruditi ostenderint primum hunc auctorem medicum ex Græcis in Arabum manus peruenisse, in eorum linguam translatum; inter ipsos deinde multa sunt disputata de lumbricorum latorum natura. Videntur AETIVS & AEGINETA, inducta illa permutatione pellicula interioris intestinorum, occasionem dedisse latine medio ævo balbutientibus, ut *spolium* vocarent illam ita intestinis detractam pelliculam: vt *sectionis* I. §. XI. adduximus: quod nomen deinde mutatum videtur in *solum*. Quum vero signum ejus certissimum legerent excreta cucurbitæ seminibus similia: illa alii interpretati sunt lumbrici lati partus, qui ob defectum alimenti non possent enutririri, adeoque cito excluderentur: alii ipsius longioris jam facti, quam ut intestina continere amplius possent, abrupta fragmenta interpretati sunt: iterum alii totum lumbricum latum non esse unum animal, sed connexam seriem multorum cucurbitinorum, contenderunt, de quorum connexionis modo diversa tradidérunt. Alii enim communi quadam membrana contineri dicunt, alii morsu præcedentem a subsequentे prehendi: alii vncis quibusdam conjungi docuerunt.

§. V.

Lumbricorum latorum incredibilis est longitudo a *De lumbrico lato.* scriptoribus medicæ historiæ annotata. Qui mediocria commemorant, pedum quinque, decem, triginta memorierunt; qui longissimum scribunt, ad octingentos pedes eum extendunt, eamque mensuram colligunt ex computatis fragmentis, quæ diuersis temporibus prodierunt.

D

runt.

runt. Ea autem omnia, multorum annorum decursu licet successiue excreta, non plurium animalium sed unus esse fragmenta creduntur, quia antiquitas docuit & asseruit tantum vnicum hujus generis lumbricum in uno homine esse posse: pluribus autem aleidis non suppetere vel locum vel alimenti necessarii copiam. Illum autem vnum cum homine nasci, eidemque consenserere, nisi medicamentis expellatur integer, HIPPOCRATI, vel quisquis est auctor libri de morbis IV. quem ad hunc referunt, creditur. Figuram multi exhibuerunt, sed paucissimi integrum: eorumque, qui vel caput vel caudam exhibuerunt & descripserunt, alii accusati sunt, quod ex phantasia sua illud, reuera non vsum sibi, supplerint, vel concretum forte mucum, qui adhaeserat extremo, diutius contemplati ad nomen & vsum excoigitandum, & animo fingendum reuocauerint, deinde pictoris & sculptoris adjuuante felicitate ita expresserint, ut clariss intuentium obtutui sisterent, quod sibi de eo imaginatus quisque auctor fuerat, lectorique suo persuadendum putarat.

### §. VI.

Sic NICOL. TULPIVS, amplissimus vir, obseruas. ter sententie lib. II. 42. exhibet lumbricum latum, in priori editione 1641. emissâ bicipitem, quem eundem subsequuta editiones vnico capite fistunt crassio, minori quam crassities reliqui corporis est, & tamquam passeris aut aliis aviculae, rostrato. Vir non minus insignis JO. MICH. FEHRIVS, in *analectis de absinthio*, iconem ponit, cum capite verrucoso, trium papaveris seminum apte coniunctorum formam exprimente, quod subiungitur corpori ex latiori sensim in augustiam excurrenti, iquum Tulpi-

pianus prope caput crassus sit & in cauda tenuetur. Solium D. D. ANDRY, seu lumbricus latus ab ipso depictus, pariter tenuis & angustus est circa caput, quod nigrum exhibet, oculis magis praeditum. Ea autem figura, quam MALPIGHIVS dedit, tamquam capitum lumbrici lati iconem, prorsus monstrosa est & laruae humanae faciem mentienti simillima. Ab his omnibus ac singulis diuersissima est, quam D. D. CLERICVS a se visam delineari curauit & tab. VIII. figur. 5. & 6. exhibit, figura capitum ejusdem lati lumbrici, cui chelae cancerorum simile rostrum praetenditur. Caudam idem CLERICVS sibi accurate visam exhibet, ex latiore corpore in angustum filum, tandemque in tenuitatem capillarem desinentem: qualis ante ipsum neminem vidisse vero simillimum est, quem nemo descriperit.

§. VII.

Quantum in capite delineando a se inuicem recedunt auctores, tantum etiam in reliquo corpore discrepant. Aggressi sunt istud examen propiori & partim nostra reitate doctissimi viri, anatomicae disciplina laude alias florentes, aut a florentibus & microscopiorum apparatu instructis adjuti: quorum potiores attingere oportet. EDVARDVS TYSON, Med. D. & Collegii Medicis Londinens, nec non Reg. societ. soc. dedit dissertationem de verme annulato, a juvene quodam Londini excreto, viginti quatuor pedes longo. Observat ille articulos vermis in medio ejus corpore esse majores illis, qui prope caput vel caudam accedunt: superioris articuli limbum inferiorem super scandere ac quasi intra se recipere inferioris & proxime subsequentis limbum superiorem: idque probe obseruandum esse, ne caudam pro capite accipiamus, quod SPIGELIO ita accidisse

*De corpore  
lumbrici, se-  
cundum Tyso-  
nem.*

D 2

do-

docet: forte etiam FEHRIΟ, vt figura ipsius fidem facit. Cuilibet articulo suum os esse proprium. Scilicet circa medianam partem limbi vnius cujusque annuli orificium apertum, in tuberculo quopiam prominente, nudis oculis conspicuum obseruari, quod setam porcinam facile admittat. Tubercula haec modo ad annuli dextrum latus, modo ad sinistrum, alternatim esse posita: rarius sibi visum esse, quod in duobus annulis seu articulis orificia haec seu tubercula ab eodem essent latere. Consequitur itaque vt lumbrico tali plura sint ora, quam Briareo manus, aut Argo oculi, poetarum fabulis affinguntur.

### §. VIII.

*Eiusdem Ty-  
tonis de ca-  
pitē humri-  
ci doctrina,* Caput hujus animalis ex homine non vidit, sed in canibus repertorum lumbricorum capita requisuit, inuentaque vidit duobus spicularum hamatorum ordinibus instructa, quorum majora, e centro orta ad circumferentiam inde ferebantur, alia vero supra centrum originem suam habentia prioribus breuiora erant. Nullum vero oris vicem gerens detegere valuit orificium: veroque simile ipsi & aliis, qui considerauerunt, visum fuit crinosa illa spicula idem huic lumbrico officium praestare, quod ricini a pedibus suis habent, vt nimurum illis fortius intestino inhærescens, alimentum reliquis oribus, in mediis articuli limbo obuiis, facilius sugat, nec perpetuo ab impulsu affluentium excrementorum fluctuet. Eisdem spiculis profundius adactis efficit intolerabiles dolores: vt & ob fortius impactum caput accidit, vt raro integer tractus expellatur, omniumque rarissime caput excretum appareat. Ore autem in capite non eget, quum quilibet articulus proprium sibi os ha-

habeat, ex quibus magna chyli copia premendo eiici possit, unde etiam fiat ut quiuis articulus abruptus vitam per se diu possit producere & alimentum necessarium haurire. Quin priorsus ipsi videtur lumbicus latu aliquod Zoophyton, conueniens cum geniculatis plantis quibusdam, quarum singuli articuli eiusdem generis plantam facile producent.

§. VIII.

Post D. D. TYSONEM scripsit D. D. NICOL ANDRY, medicus facultatis Parisiensis; cuius doctrinam aliquas præcipuas decerpemus. Statuit duplex tæniorum genus: alteram, proprie hoc nomen gerentem, nec caput formatum nec motum nec mamillas habere: alteram, cui *solum* nomen est, moueri & caput habere optime formatum, verrucam quadantenus referens. Solium in pyloro nutriti, & exinde ad omnia porrigi intestina. Soliorum genus aliquid, ab hoc diuersum, SPINGELIVS delineauit, in quo medium corpus longa spina, nodis seu articulis constante, a summo ad imum tendente, diuiditur. Illud autem, quod ipse delineauit, caret illa spina, limbi vero inter singulos articulos mammillæ specie aliqua donantur, in cuius extremo orificio apparcat, in quo vas quodpiam, colore ad cœruleum vergente, vsque ad medianam corporis latitudinem porrectum, distinguitur. Putat in capite se vidisse quatuor oculos, quos tamen D. MERY pro naribus habere maluit. Protuberantiae illæ mammillares in Andryano solio non erant alternatim dispositæ, vt TYSO de sua tænia annotauit; verum ita inæqualiter, vt tres ab una parte, duæ ab altera, vnica hinc, duæ vel tres illinc exstarent. Videntur autem illarum mammillarum

*Andryi do-  
ctrina de so-  
lio suo.*

D. 3

larum

larum orificia non ora esse, sed totidem foramina quibus aer ad pulmones & tracheas internas ducatur.

§. X.

*De structura  
solii Andry  
ani.*

Interna solii scrutaturus D. ANDRY, socios habuit viros rei anatomicae gnarissimos, & hos inter D. MERY, Nihil, vel admoto microscopio, inuenire potuit structi vel organici: magnam autem congeriem corpusculorum globulosorum, milii granis accendentium, rotundissimorum, quæ plane æquabant aceruum ouorum in cyprinis occurrentium, detegebat: quæ oua in hominis intestina deponi & augefcere, sed quod non inueniunt nutritionis necessariam copiam, ab excrementis continuo abripi & extra protrudi, existimat. Ipsum suum solium in pyloro nutritiri tradit, ibique collum cum capite condere, vt delibatisimam chyli partem, ante quam ad lactea perueniat, aut bili commisceatur, absorbeat. Ceterum solium hoc vnum tantum animal solumque fuisse inde concludit; quod iam extra abdomen subsistens satis vegete fese mouerit: quem impossibile sit vt plures vermes, catenatim iuncti, ita se moueant, vt veluti arcuati appareant, & catenæ ab ipsis formatæ posteriores partes eapitis collique motum sequantur.

§. XI.

Vallisneriæ doctrina in plerisque contraria.

Andryanam tractationem excepit celeberrimus Italix medicus D. D. ANT. VALLISNERIVS, qui 1710. Italica lingua de origine vermium humani corporis scriptum edidit, coque opinum, qui ante se idem argumentum tractauerant, industriam post se longo intervallo reliquit. Occasionem suppeditauit mulier Ebræa. Hæc tunc grauida a commotis lumbritis abortum, quem sèpius

sæpius passa fuerat, metuebat. Non solum per aluum reddebat; sed euomebat subinde vermes, tam solitarios, quam in catenæ modum iunctos, Andryano folio similimos. Totus in eo est, vt ostendat lumbricum latum, quem solii nomine appellant, non esse vnicum animal, sed catenam multorum sibi arcto, solubili tamen, nexus junctorum. Quilibet annulus seu articulus illius catenæ est lumbricus, materia membranosa, molli, alba, splendente, flexibili & lubrica constans. Quisque eorum, inquit, parte sua superiore angustior est, quam parte inferiore. In singulorum vero utroque latere superiore assurgunt duæ minimæ prominentiæ, quæ digitis subtus pressæ cornicula quæpiam, seu vncinos, microscopii ope conspicuos, promunt; hisque vncinis tenaciter vniuntur parti inferiori antecedentis annuli, seu vermis, quæ scilicet alias vermis pars postica est, cui insculpti sunt scrobiculi quidam, corniculis vncinisu recipiendis apti. Cujuslibet nulli partes laterales crispæ vel rugosæ quadantenus sunt, atque ex earum medio oritur quædam veluti mammilla, cuius centrum meatu facile visibili perforatur.

§. XII.

Motum edebant tam majora catenæ talis frusta, Singulos articulū ejus articuli, siue ab Ebræa sic seorsim exticulos singulcreti, siue distrahendo separati. Tabulæ enim imposita progrederibantur. Si objiceretur obstaculum viæ, conuersa fibrarum suarum contractione remeabant, non secus ac de amphisbæna legimus, quod æque expedite antrorsum quam retrorsum pergit. In humido diutius quam in sicco durabant. In mortuis & quadantenus fiscioribus conspiciebantur ramuli splendentes candidi-

*la anima ha  
docet.*

diffimorum vasorum, quæ microscopio visa & obseruata exhibet D. D. CLERICVS tabula II. quæ tota Vallisneriana obseruata ob oculos sistit. Negat tali cucurbitinorum catenæ vel caput, vel caudam, vel ductum quandam communem esse omnibus aut pluribus: consequitur inde vanum esse, quicquid vel de oculis vel naribus ipsorum disputatur. Oua in illis frequentia esse & ipse comperit. Ea autem deponi quidem & inflari; nihil autem progenerari inde falso putat. Progenerant vtique sui similia animalia, quæ catenæ longius producenda inferiunt. Solium Andryanum caput per pylorum porrigere, vt chyli florem decerpatur, fictitium est, sponteque cadit, ubi nullum caput est. Et quo paeto hauiisset, vbi nullus obleruatus in credito capite hiatus fuit, qui pro ore esset: nullus communis ductus, qui ad singulos perducere possit.

### §. XIII.

Docet porro celeberrimus D. D. VALLISNERIVS illud foramen, quod in singulorum articulorum alterutro limbo, mamillæ instar extanti protuberantiae inesse appareat, non oris vicem gerere, quod TYSONI placuit, non respirationi inferire, quod ANDRYO visum est, sed potius esse podicem animalis. Verum os ejus, quod & illustri MALPIGHIO visum fuit, esse in parte lumbrici angustiore, inter delcriptos vncinos, in eorumque meditullio situm. Quumque difficile videatur intelletu, quo paeto per hoc os nutriti lumbricus possit: declarat vero admodum simile sibi videri, quod hæc singula animalia non perpetuo sibi mutuo adhærescant, sed potius subinde pastus caussa se inuicem dimittant; tunc autem potissimum in catenæ modum se jungant, quando

*Quale os sit,  
quis podex  
animalium  
horum.*

do fugam meditantur, quale quid aliis etiam animalibus  
e propria sede migraturis vsu venit. Sic AELIANVS  
*histor. animal. lib. V. cap. 22.* obseruat mures, flumen tra-  
jicere volentes, candis ore mordicus inter se apprehe-  
nisis, longo jungi agmine, sicque rapiditati fluminum fa-  
cilius resistere junctis viribus.

§. XIV.

Singularem quoque meretur attentionem, quod eadem iudea, quæ D. D. VALLISNERIO suppeditauit illos, in quibus obseruationes instituit, lumbricos, alio tempore sine magno dolore, sed maximo terrore suo, excreuerit substantiam tamquam fasciam duplicatam, omni parte clausam, crassam, lubricam, diaphanam, mucilaginosaque membrana contextam, duos pollices latami, duobusque cubitis longiorem, cauam interius, quæ in cauo suo continebat inumeros lumbricos curbitinos, at solutos, minimeque sibi injicem cohaerentes. Credebat intestini longissimum frustum sibi excidisse, adeoque medicum, qui spectaculo stupebat, aduocabat, D. D. TORQVATVM. Similem huic sacram ipse VALLISNERIVS in alia Iudea oculis suis vidit. Olim similem conspexit GABVCINVS, qui talem saccum aut tubulum pro lumbrico lato veterum perpetram habuit. Illustris LANCISIVS polypum fistulosum, ex concrescibili intestinorum succo enatum, rebatur; cui accedit VALLISNERIVS, quamquam judicandum lectori suo permittit, annon forte lumbrici oua sua depo- nentes simul emitant tenacem glutinosam materiam, quale quid in multis piscibus & animalibus aquatilibus obseruatur.

Vallisneria  
vidit saccu-  
lum lumbrici-  
cis repletum.

E §. XV.

## §. XV.

Hactenus retulimus, quæ illustris VALLISNERIUS in TYSONIANA & ANDRYANA doctrina, de lumbri-  
co lato, tænia seu folio, emendauerit, & quam feliciter  
nobis cucurbitinos lumbricos, tantum non pro figmen-  
to Arabum habitos, restituerit. Subjiciamus illico do-  
ctissimi D. D. CLERICI de his animalibus sententiam.  
Concedit sic felicissime refutatum esse eorum errorem,  
qui *tæniam secundam PLATERI*, quæ SPIGELIO degener  
*tænia* dicitur, pro uno animali habuerunt. Sed non vult  
permittere, vt pro fabulosa habeatur *tænia PLATERI*  
prima, quam frigidioribus regionibus longe familiarem  
esse secunda asserit. Sibi hanc secundam, seu degenerem,  
semel tantum visam fuisse in muliere ex Occitania  
aduena: sed alteram, quæ PLATERI prima est, non mi-  
nus collegis, quam sibi, saepius obuenisse spectandam:  
medicisque Bernensis tractus, Basileensibus & Tigurinis fa-  
tis crebro offerri. Arabas autem, Græcos, Italosque illorum  
non facere mentionem, non debere mirum nobis videri,  
quum calidiorum climatum incolis id genus non innatci  
videatur. Noua itaque attentio afferenda est, vt noscamus  
naturam tæniæ, qualem D.D. CLERICVS vidit, & ante  
eum PLATERVS primo loco descripsit.

## §. XVI.

Credit se vi-  
disse veram  
tæniam, uns-  
cum animal  
prælongum  
capite & can-  
de præ-  
rum.

Nolumus decerpere quos laudat cap. VII. initio au-  
tores, de eadem loquutos: sed festinamus potius, prop-  
ter dicendorum, quæ restant, multitudinem, vt sumiam  
doctrinæ paucis complectamur. Tæniæ nomen hic  
lumbricus folus jure gerit impositum: siquidem albas  
lineas, fascias, quibus infantes inuoluuntur, plurimis  
lineis tranuersis per æquabile interuallum ex gossypio  
inter-

intertextis, exacte refert: medio suo corpore digitum latus est, ad caudam vergens paulatim angustior evadit: albus est multisque internodiis seu articulis praeditus. Articulorum seu geniculorum insertio talis est, ut inferior superiorum subeat, superior sequentem suscipiat: ex quo fit ut a parte superiore ad inferiorem manu super corpus ejus ducta, instar anguillæ levius & lubricus videatur, contrario modo tractatus asperitatem aliquam offerat. In hoc genere tñiarum non adsunt istæ in alterutro latere superioris notatae mamillæ: totam autem substantiam ejus perrepit tubulus in multos ramos laterales, totum lumbrici corpus obsonentes, diuisus. Hic alimentarius canalis seu intestinum illius lumbrici videtur. Enimvero de hoc tubulo, quod non dissimilandum est, admodum titubanter scribit Vir celeberrimus, seque excusat hunc in modum: sat frequenter ipsius inspexi, ut varia in eum experimenta dudum facere potuerim: sed de iis faciendis tum duntaxat cogitaui, quum de eo ut scriberem nuper in mentem venit: & nescio quo fato, vermis ejusdem frustum unum aut alterum ab eo tempore ad me delata quidem sunt, sed ita affecta, ut partes eorum omnes, tubulum in primis alimentarium, de quo jam quæstio est, commode perfetteque retegere nequievim. Hoc igitur, tamquam præcipuum in hac re momentum, aliis viri industria reseruatum manet, cui fortuna occasionem æque crebram, ac D. D. CLERICVS se habuisse scribit, oblatura est.

§. XVII.

Interim gratiæ habendæ ipsi sunt, quod tñix caput & caudam accurato studio considerarum descriptio  
E 2

*Descriptio  
capitis &  
caude.*

pingique curauit. De capite sic scribit: plagula suprema ceteris inferioribus plagulis non modo rotundior longiorque, sed & paulo crassior apparebat, atque tribus praeterea lineis albescentibus longis seu rectis, quæ alibi non occurrabant, insignita erat: sinus profundus inter duas utrinque existentes prominentias acutas, tamquam totidem cornua, notabatur, e quarum singulis acutissimus apex oriebatur, filum quoddam tenuissimum crinemue referens. Idem in vini spiritu quadantentus exsiccatum, absorpta humiditate superflua, ostendit medicis Genevensibus. Valde accedit ad similitudinem capitis, quod gerit vermis ille, quem GOEDARTIVS ericarum holzem appellauit. Conferatur Tab. VIII operi ejus adjecta. Sed ad caudam progredimur, quam capite. VII. describit. Excede ite eam vir LXVI. annos natus, qui a decem annis multa frusta lumbrici lati dejeceras, semper capite & cauda refutantibus, donec in ipso mortis articulo extremitum fractum, quod cauda erat, excreuit. Eraf ad minimi decem pedum longa portio. Caudæ principium illud statuebat, ubi latera æqualia nec amplius ferrata fieri incipiabant. Atque ab illo termino, ad totalem finem, duos amplius pedes longa hæc cauda fuit. Desinebat in tenuissimum filum, pedis unius mensuram superans, adeo subtile ut capillum tenuitate sua æquaret. Quanta autem longitudo inter caput & caudam intercesserit, id determinatu omnino impossibile videtur.

## §. XVIII.

*Dubia in Tympanis & Anæryi doctrinis.* Hac tenus historiam unius lumbrici lati persequuti sumus, facileque intellexisse ex allatis lector potest, quam non conueniat inter medicos, etiam recentissimos, de hoc

de hoc animali. Potiora dissensus momenta paucis subjiciam, ante quam ad reliqua progrediar. D. D. TYSON & D. D. ANDRY, ambo docti clarique viri, suum quisque, quem descripsit, lumbricum habuit pro animali vnoico. Tyson fatetur in reliqua natura similem ipsi non obuenire, creaturam scilicet animatam tot oribus constantem, quæ non per os in capite apertum alimenatum hauriat, sed in quoquis annulo os habeat. Merito videtur ipsi objectum, cui vsui tot ora sint animali, quod nullum habeat exitum, per quem reddat assumta. Idem non injustam sustinet suspicionem, quod illud, quod in lumbrico canino pro capite habuit, minus recte considerarit, vncinumque extremi lumbrici cucurbitini solum considerans, neglexerit idem in quoquisunque articulo separato intueri. D. D. ANDRY videtur præoccupatus tuisse persuasione illa, quod *solum* nomen habeat, tamquam sit in homine *solitarius*. Habuit itaque pro uno animali, cui capite omnino opus sit: idque pinguendum curauit, & in eo oculos videre sibi visus fuit. Quum vero caput & oculos complures notaſſet, nullum autem os; insuperque negasſet māmillas illas Tysonianas oris vice fungī: dubium relinquit lectorē, per quas vias alimentum subeat. Necessarium autem est credi, illud per os in capite patens intrare, quum doceat illum per pylorum caput in ventriculum extendere, ut purissimum & bile nondum permixtum chylum hauriat.

### §. XVIII.

Non potuit hoc vidisse in hominē, qui *solum* ab ipso descriptum excreuerat. Existimo autem canes ipsi has cogitationes subieciſſe. Scilicet memini quod in præ-

*Allia dubia  
de Andryano  
folio.*

lectionibus Exc. D. D. SCHVLZII, Præceptoris p̄fſime colendi, audiuerim, se ante hos quindecim annos fecuisse canem venaticum magno ære emtum, sed valde deinceps emaciatum, vt vix incedere amplius valeret. Quare ipsum dominus eius exercitiis anatomicis permisit. Erant per intestina superiora lumbrici lati ſeu tæniæ ad minimum decem, tres pedes longi, qui ſinguli per pylorum in ventriculum, eiusque parten, quam WILLISIVS antrum pylori dixit, arrecti eminebant. Sed &, ne interrumpam eius obſeruationem, prope ilei finem longe plures erant tæniæ iuuenes, longe illis superioribus minores, pedem longæ & toto reliquo habitu tenuiores ac teneriores illis per pylorum protensis. Porro quum D. D. ANDRY pro certo aſſumifſet, ſolium in quois homine, quem obſidet, eſſe & manere ſolitarium, fieri non poterat, quin aſſereret oua, quæ in ipsius interaneis plura conſpexerat, deponi quidem & inflari, ſed abripi per excrementa & excludi, absque eo, vt animal inde procrearetur. Quumque ſemel admifſet, quod capite ſuo per pylorum exferro chylum pūriffimum hauriat: non poterat mamilas Tylonianas, pro tot oribus habitas, non reuocare ad aliū vſum, ſcilicet ad respirationem: in quo ipſum ſecuriorem fecit MALPIGHIVS, qui in ſectis multas tracheas eſſe docuerat.

## §. XX.

*Vallisnerius clarissima docuit: ſed Clericus noua dulcia ſpp. iecit.* Parum abeft, quin illuſtris D. D. VALLISNERIVS Phyllida ſolus habere in hoc certamine meruerit. Sane facillima eſt eius doctrina & planiſſima; nosque magno ulterius inquirendi labore leuaret, niſi celeberrimus D. D. CLERICVS nouas diſſicultates nobis obieciſſet.

Dolen-

Dolendum tamen, quod de sacco, cucurbitinis lumbri-  
cis pleno, nos non plenius edocuit: sed multa sunt vi-  
ris occupatis, peregre protectis, impedimento, quo  
minus omnibus possint satisfacere. D. D. CLERICVS  
rem sane magna consideratione dignam proponit, quod  
climata frigidiora a calidioribus diuersa ferant. Quum  
vero in Batavis & Dania dari tænias, ad normam do-  
étrinæ Vallisnerianæ iudicandas, permittat: vbi cælum  
longe magis, quam apud Geneuenses & Heluetios fri-  
gidum esse indubium est: assertionis eius vniuersalitati  
multum sanc derogari existimo. Optabunt sine dubio  
omnes, vt in iisdem regionibus viuentes docti medici  
omnem operam impendant clare ac indubie ostenden-  
do illi communi per totum tænia, quam PLATERI  
primam afferuit, corpus excurrenti, singulisque articulis  
alimentum afferenti ductui: nam ex eo videtur totius con-  
trouersie decisio pendere. In capite potuit aberrare &  
falli, vncinis superioribus, quum nihil haberent, quod  
apprehenderent, ita contractis, vt duo cornua vide-  
rentur. Quæ cauda ipsi visa fuit, ab homine moribun-  
do & multis purgantibus medicinis exercito, tandem  
exclusa, potuit fuisse series cohærentium cucurbitino-  
rum, medicinæ viribus diu antea enecatorum & tabe-  
factorum, vnde ad tantam exilitatem fuere redactæ.

### §. XXI.

Superest vt historiam lumbricorum teretum at-  
que ascaridum paucis subneftamus: tandemque de re-  
liquis animalibus, in hominum corporibus frequentius  
repertis, quædam subjiciamus. *Lumbricorum teretum*  
*maximus & familiarissimus* est prouentus. Etiam ho-  
rum quidam prægrandes & robusti notantur, quos li-

*Historia  
lumbricorum  
teretum &  
ascaridum.*

*galas*

gulas dixerunt auctores quidam, prorsusque tæniarum familiæ adjunxerunt: forsitan ex eo, quod tineas cum tæniis olim confundere fuerunt soliti. Memorantur pedem longi, cornuti, villosi, fului, sanguinei. Ordinaria magnitudo est palmus ad sesquipalatum. Exterius considerati sic satis videntur similes illis terræ visceribus, seu lumbricis terrestribus; sed interna non omnino conuenire docuit REDVS apud D. D. CLERICVM pag. 218. seqq. adductus, cui addenda sunt apud eundem obvia VALLISNERII ad hanc considerationem anatomicam supplementa p. 222. exhibita. Plerumque obvident iæstina tenuia: non raro ad ventriculum diverunt. Nec parua sunt, quæ corpori afferrunt damna, quum sepe intestina perforent, neque raro visi sint qui vel per umbilicum, vel per inguen exitum sibi parauerint, etiam superstite homine, cui tantam injuriam ingratissimi hi & nequam hospites intulerunt. *Aescarides* in extremo crassorum intestinorum potissimum hærent hinc cognoscuntur, quia molesto pruriitu inducto præsentiam ibi suam quam maxime manifestant. Vix diti lati longitudinem excedunt, suntque albissimi & agilissimi, vnde etiam nomen accepisse apud græcos videntur.

### §. XXII.

*De aliis,*  
*præter hum-*  
*bricos, hospit-*  
*tibus ven-*  
*tris humani.*

Tandem quoque in hominum intestinis hospitari visa sunt alia animalia, ab ordinariis illis, hostibus an hospitibus dicam, diuerla, vt *hirudines*, *ranae*, *bufones*, *lacer-*  
*tae*, *scarabæi*, *eruciformes*: cujus generis multa exhibent MARC. DONATVS de med. hist. mirabil. IV. cap. 26.  
 SCHENCKIVS obseruat. medicinal. lib. III. p. 416. sequ.  
*Ephemeredes Acad. N. C. & annales medico-physici Bratislaui-*  
*enses:*

*enfes;* vnde excerpta, quæ ad manus sunt, huc transferre nimis longum foret: tempestiuum enim nunc videatur transfire tandem aliquando ad illam disquisitionem, quæ & lumbricorum originem querit & nocendi varios modos exponit.

*C A P V T III.*

**TRADENS EA, QVÆ PERTINENT AD  
ORIGINEM LVMBRICORVM, ALIORVM  
QUE VENTRIS HVMANI HOSPITVM,  
ET AD ILLORVM MOLESTOS NO-  
XIOSQVE EFFECTVS.**

*§. 1.*

**D**E vermium & insectorum omnium origine, non solum de lumbricorum, qui corpus humanum infestant, primo ortu, jam olim disputatum est, neque in hunc usque diem vno omnes ore de hac re philosophantur. Paucis nos agenus de re abstrusissimæ cognitionis, potiusque referemus quid magnis olim viris placuerit, quam quid nobis sit compertum ARISTOTELES *bist. animal. V. cap. 9.* lumbricos in genere refert ad animalia *ēvqua infesta*, eaque non a congeneribus genita *ātā autquātōs yñípēta* sua sponte prognata, aut, vt nostra ætate scholæ loquuntur, *āequiuocæ* generationi ortum suum debentia. Eiusdem sententiaz fuisse deprehendimus auctorem libri *de morbis IV.* cui inter Hippocratea scripta locus datus est: quamquam primo intuitu diuersum sentire videatur. *Affero, inquit,* *lumbricos latos in puer, dum adhuc in utero est, nasci.* Hæc

F

verba

*Lumbricorum  
rum origi-  
nem ex pu-  
tredine do-  
cent Hippo-  
crates & A-  
ristoteles.*

verba lucem accipiunt ex sequentibus: *multa nascuntur, dum puer in utero est, hoc modo: ubi ex lacte & sanguine compactucente ac redundante, utpote quod dulce est, pus factum fuerit feruidum, animal isthic generatur.* Nascuntur autem & rotundi lumbri ci isthic eodem modo. Fundamentum asserti sui tale prodit: postquam in Incem editi sunt pueri, mulieres ipsis in cibo offerunt medicamenta, quo sterlus ex intestino exeat multique sane tunc pueri & rotundos & latos lumbri cos una cum primo stercore excernunt.

## §. II.

*Theophr. E-* Curiosior in hoc fuit THEOPHRASTVS ERE-  
*refici curiosa* SIVS histor. plant. libr. IV. circa finem, quem excerptit  
*opinio de* PLINIUS libr. XXVII. cap. 13. cuius haec sunt verba *Sunt*  
*lumbricis se-* & gentium differentia non mediocres: *sicut acceptimus de ti-*  
*cundum na-* *nēis lumbricisque, inesse Aegypti, Arabiae, Syrie, Cilicie populis:*  
*et diuerso Græcia Phrygia omnino non innasci.* Minus id mi-  
*ss.* rum, quam quod in confinio Atticæ Bœotiaeque The-  
banis innascuntur, quum absint Atheniensibus. Nititur  
quidem DALECHAMPIVS hunc locum trahere ad  
dracunculos seu venam Medinensem: sed omnino in-  
feliciter, præfertim quum Theophrastus de lumbrico  
lato hoc diserte prodat. Credo autem manifestum illud  
consequi, quod ex hac doctrina amplius quid co-  
gitandum relinquatur, quam ortus ex sola putrefactio-  
ne, supponatque aliquid organicum, quod a parentibus  
in generatos quacunque ratione propagetur. Ut  
huic obleruationi aliquid tribuendum existimemus, fa-  
cit recordatio quod supra saepius laudatus VALLISNE-  
RIVS suas observationes de lumbrico lato fere tantum  
ex Ebrais habuerit: de quibus diserte afferit, quod in  
hac gente frequentissimus sit: & quod pariter a nobis  
saepè

sæpe laudatus D. D. CLERICVS contenderit tñiam,  
quam dixit Spigelii degenerem, Platerique secundam  
calidioribus regionibus esse p. ularem : vti alteram,  
quaë Plateri prima est, Heluetiis aliarumque frigidarum  
regionum incolis vindicatum iuit.

## §. III.

Ita de prima l mbricorum origine veteres dissentē-  
runt. Sed non nus in diuersa abierunt circa illam  
quæstionem decidendam, an semel in ventribus genita  
hæc animalia, sui similia procreent. Hippocrates, aut  
auctor libri ad ipsum relati, rotundos parere dicit, de  
latis autem negat, & afferentibus contradicit : quam-  
quam concedit talem lumbricum alentes crebro per  
alium excernere aliquid cucumeris seminibus simile:  
de quo ita sentire videtur, vt non habeat excretum hoc  
pro fœtu animalis, sed pro fragmentis animalis longio-  
ris iam facti, quam vt intestina capere & includere am-  
plius queant. Aristoteles contra sentit quod soli lati a-  
liquid generent cucurbitarum simile. Quid AETIO &  
PAVLO AEGINETAE in mentem venerit de latorūm  
lumbricorum origine ex tunica intestinorum interioris  
secessu, & putrefactiu caloris virtute viuifica, superius  
vidimus, neque recoquere nunc iuuat. Atque sic ex  
principiis de generatione æquiuoca primum fere ortum  
explicabant, propagationem vero per generationem  
vniuocam plerique admittebant. Quam larga hinc se-  
ges quæstionum, sed a foro medico alienarum sub-  
orta sit, cogitari facile potest : quaë si quis perlustrare  
desiderat, abunde multum, ni forte ad naufragium mul-  
ta, legere potest apud PETRVM de APONO *Conciliat.*

*An semel in  
nubis nati  
lumbrici ge-  
neratione  
propagati-  
tur?*

F 2

differ.

differ. tot. & HIERON. MERCVRIALEM de morbis  
puer. lib. III. qui totus lumbricorum doctrina constat.

#### §. IV.

*Difficultates  
in generatio-  
ne vniuoca  
intelligenda.*

Quoniam nostra ætate generatio æquiuoca fere repro-  
betur, & pro vniuoca omnes certent, maxima diffi-  
cultas ingenii nobilissimis obiecta est, vnde deriuata  
sint in hominem, lumbricis obnoxium, oua illa aut o-  
uum illud, ex quo prima pullities venit. Tanto diffi-  
cilius hæc quæstio soluitur, quum extra hominis, aut  
animalium intestina nondum reperti sint lumbrici vel  
teretibus vel tænis hominum exacte similes. Nam  
quantum ad teretes lumbricos pertinet, accuratissimo-  
rum virorum obseruationibus, etiam microscopiorum  
ope facti cognitum est, quod teretum humanorum, eo-  
rumque qui lumbrici terrestres vocantur, diuersa cum  
in aliis structura sit, tum in his maxime quæ ad organa  
generationis pertinent. Latorum autem lumbricorum,  
si ad normam illius ideæ concipias, quam nobis Plate-  
riana tænia prima & Clericana sifistit, exemplum nullum  
in tota rerum natura suppetit simile, si extra animalium  
corpora requiras. Et inter ipsa animalia, quibus tæ-  
nia inesse fuerunt cognitæ, magna deprehensa videtur  
differentia, vt nemo impune passus sit a lumbrico lato  
canum, ad eundem in homine, conclusionem firmam  
fieri: multoque minus fidem inuenierit LOEWEN-  
HOECKIVS obseruationibus suis e pitciū diuersis  
generibus, si ad hominem transferri deberent.

#### §. V.

*Lambrici,* Nolo hoc referre capita argumentorum, quæ ab  
certis tempore vtraque parte proferri solent, sed potius medica inquisi-  
tione

tione dignissimam vtique rem, quæ facti est, commen-  
dabo. Scilicet diu obseruauerunt medici, quo tempo-  
re morbi populariter grassantur, alterum ex duobus, aut  
exanthemata, aut lumbricorum pullitiem, in ægrotan-  
tibus, sæpe autem utrumque simul, enasci. Grauiter  
de eo admonuit medicorum Gallia non postremum de-  
cus NICOLAVS CHESNEAV, cum alibi in obserua-  
tionum libris, tum præcipue *libr. III. cap. VIII.* quo de  
lumbricis ex instituto agit. Quid vero est causæ, cur  
hæc ita euenant? An extra nos vagata ouula inferun-  
tur & cito exclusa lumbricis intestina implent; an in  
nobis jam antea contenta oua, ex aere demum viuifi-  
cantur; an ipsa animalia insciis nobis adfuerint, & ae-  
ris epidemia malignitate offensa nunc demum inquieta  
redduntur & ad exitum quærendum compelluntur? Si  
extra hominem in aere vagantur ouula, & per aerem  
afferuntur, vnde quælo in aerem fuere immissa, quum  
nondum extra hominem similia humanis lumbricis infes-  
ta fuerint inuenta, etiam a sagacissimis harum rerum scruta-  
toribus. Nam quod aiunt aerem feminibus multorum  
animalium vegetabiliumque perpetuo scatere & reple-  
tum esse, non sufficit: quum non ex quolibet semine  
quodlibet animal gignatur; sed perpetua & constantissi-  
ma naturæ lex sit, vt ouulum cuiusvis animalis idoneo  
loco suscepimus excludat suæ speciei animalculum, quod  
vbi sibi idoneum inuenit pabulum, crescit & adolescit:  
vbi locus & pabulum non convenient, illlico perit. Si  
non ex aere inuenire licet, forte aquæ nobis, dum pota-  
mus eas, infundent quo trahi possunt LOEWENHOEC-  
KIANAE obseruationes plurimæ, quibus constat pi-  
scium plura genera lumbricis, etiam latis, plenæ esse.

F 3

Sed

*ribus magis  
frequentes  
fiunt.*

Sed & hoc repudiandum est, quum tñniæ pisculum nullo pacto humanis conueniant, soloque adspectu insignis differentia cognoscatur. Ne dicam aquatilium oua requirere utique elementum aqueum quo vicitent: hoc negato perire ea necessarium esse.

*Lumbrico-  
rum fecun-  
ditas & va-  
rius in corpo-  
ranostra in-  
gressus.*

### §. VI.

Nolumus nos vltterius immiscere quærentibus originem lumbricorum vltimam, ne extra medicinam vagati litibus cum philosophis & forte theologis quoque implicemur. Expediant hæc ingenia perspicaciora: nobis ignorantiam profiteri impune sit, vbi nondum inuentus fuit doctor, qui clare & sufficienter hanc rem explicaret. Illud nobis sufficit, quod intra hominem mira fecunditate sese multiplicent: cuius stupendum speciem legimus EPHEM. A. N. C. cent. VII. obseru. 43. Supereft vt lustremus aliquas rationes alias, quibus animalia noxia & infesta, corpus nostrum subire perhibentur. Elegantissimus medicus HENRICVS ab HEER obseruat. XIII. exhibit adolescentem, qui philtro epoto in morbum incidit grauissimum, variis horrendis symptomatis fitipatum, quæ inter & illud fuit, quod aliquo die vno secessu rejecerit quatuordecim limaces magnos, rubros, cornutos, viuos & repentes. Vnde hi limaces ad adolescentem peruererunt, nisi ab illo noxio puluere, quem anasias nequam potui permixtum exhibuerat, fure re orti? Qualis autem ille fuerit sane ignoratur, adeoque rem in medio relinquere cogimur. Hirudines, ranas, lacertas aquaticas in ventres hominum inferri posse intelligimus, si quis vehementia sitis compulsus aquas lacunarum turbidas bibere coactus fuit: eademque ratione aliorum animalium semina nos subire posse intelli-

tellimus. Etiam cum acetariis deuorare possumus hirudinum rudimenta, quæ sape nasturtii aquatrici foliorum imæ superficie, instar gelatinæ pellucidissimæ adhærere inueniuntur: quæ si quis audius comesto acetario, dentibus non probe comminuta deglutiatur, facile fouebitur calore & humiditate intra ventriculum oblatæ, donec animal satis confirmatum, sanguinem, quo pabulo delectatur, sugere incipiat.

§. VII.

Etiam hoc curiosam speculationem affert, cur ventriculus & intestina, quæ tot alia concoquunt & digerunt, animalia hæc, quorum pleraque satis teneræ ac mollis structuræ sunt, non vincant: & cur animalia, quibus vis digerendi ac concoquendi longe potentior est, quam homini, non illud efficere valeant. Canes certe durissima ossa deuorata in pulpam mollem redigunt, & ex ea omne gelatinosum extrahunt, vt nihil nisi terreum remaneat: cur iidem tamen non concoquunt mollem & tenetum lumbricum: præsertim quoni numquam magis fame torqueri canes, nunquam voraciores esse intelligentur, quam ubi lumbricis vexantur. Evidem plane credo hominem, tantoque magis canem, facillime concoquere posse quemcunque lumbricum, si vita prius ipsi admota fuerit: & hoc ipsum, quod vivit animal, efficere ut menstrua ventriculi nostri in illud prorsus nihil valeant. Quo vero pacto vira ipsa animalis resistat actioni tot causarum ad resolutionem & digestionem structi omnis efficacium, id fateor esse abstrusioris cognitionis, quam ut satis peruideri & explicari a me posse confidam.

*Cur lumbrici  
non dige-  
rantur &  
concoquan-  
tur in ani-  
malibus.*

§. VIII.

## §: VIII.

*An lumbrici  
ventriculum  
ordinario  
obsideant.*

Illud quoque dici posset, vt aliquid digeratur, omnino opus esse vt præcise ventriculo inhærescat, ipsiusque actioni plane passiue se subjiciat: hincque fieri vt lumbrici euitato ventriculo intestina obsideant. Si vero aliquis irruperit ad ventriculum, ipsiusque vires sibi contrarias experiatur, euenire inde vt tanto furore ibidem desæuiat, nisi exitum bona fortuna vel superius per gulam, siue inferius per pylorum inueniat. Vehementissimi enim dolores, quos sentiunt miseri homines, ab eo excitantur, quod bestia illa effugere conatur, exitumque rostro suo in parietes ventriculi profundius immisso parare satagit. Nam ordinarios & perpetuos ventriculi incolas esse lumbricos vix est credibile. Anatomie quidem brutorum contrarium docere videtur. Nam in equorum ventriculis, illorum vtique qui in pratis re-centis gramen depascunt, incredibilis saepe copia repeatitur vermium rotundorum brevium: & in canum ventriculis, immo equorum etiam longorum sed tenuissimorum aliquod genus inuenitur. Enimvero magis hæc obseruatio firmat nostram sententiam quam eandem destruit. Ea enim est horum animalium folertia, vt se ventriculi actioni sustinendæ admodum callide subducant. In equis enim superiori orificio ventriculi infixo rostro suo pertinaciter inhærent, (vide *Ephemer. N. C. Cest. IV. obs. 195.* ipsique adjectam delineationem *tab. XIII.*) & non relinquunt locum, nisi pabulo multo repletus & distensus sit, cui tunc intererrant: quamprimum vero expulso illo vacuus reddi incipit, semet capitibus suis iterum affigunt dicto loco, & fundum ventriculi studiose sic euident. Canum autem tenues & longi lumbrici, perforata

rata interiori villofa tunica, caum sibi spaciun inter hanc & muscularam parauerunt, in quod se recipere possint, exspatiatur quoties repletus stomachus ad pabulum inuitat. Idemque in equis obseruatur; *vide Acta physico-medica A. N. C. Vol. I. p. 520.* Eandem solertiam lumbricorum latorum in canibus jam supra notauiimus, qui capite per pylorum in ventriculum exerto, aduentum chymi prætolantur.

S. VIII.

Iam ordo nos vocat ad considerandum, quid lumbrici aliaque peregrina animalia in intestinis hospititia corpori inferant. Si verum est, quod nonnulli dicunt latum lumbricum seu tñiam homini connati & cum illo adolescere, oportet sane fateri esse aliquos eorum satis mites, quum multi ad conspicuam ætatem ipsamque senectutem peruerenter, ante quam se incola hic vlo signo proderet. Etiam cucurbitini multi sepe prodeunt, absque notabilis molestia. Tale quid visum fuit Illustri LVC. SCHROECKIO, qui in *Miscell. Ac. N. C. Dec. II. Ann. IV. obs. 256.* refert de puerulo vnius anni, cui sanitate ceterum integra gaudenti, lumbrici tales per annum secedebant, perque abdomen & dorsum filioli oberrantes stupenti matri visendos semet obtulerunt. Nihil molestiae ab illis fuisse credibile facit, quod obseruator, de sanitate ceterum integra diserte testatur. Sed lucem plenam affert ab Exc. D. D. EL. CAMERARIO ad *Act. physico-medica ejusdem Academiae Cent. VII.* relata obseruatio, que est XLIII. vbi femina 32. annorum, cui per octo menses continuos quotidie secedebant cucurbitini XV. XX. & plures, viui ac viuaces, prorepentes quippe vel inuitæ, sibique viam

*De effectibus  
lumbricorum.*

G

per

per constrictum etiam spineterem lubricitate sua parantes per totum diei decursum, interque omnes mulieris labores. Quam vero hoc dignum admiratione, quod ista mulier vix conquerebatur de molestia, ac dubitauerit fere, an velit uti remedio ullo contra hospites istos satis modestos ac parum molestiae creantes: quin amici hortatu compellenda esset, ut medicinam aliquam sibi praescriptam adhibere vellet. Sic satis saepe etiam cum excrementis prodire aliqui lumbricos teretes vident, qui vel minimi suspicandi de ipsis causam nullam habuerant.

### §. X.

*Eorundem effectus graviores.* Quam vero gravius alii iuunt hospitum horum praesentiam? Pleni sane sunt omnium medicorum libri querelarum & testimoniorum de illorum prauitate & ferali insanis. Non dicam leuiores illas molestias, mortificationes intestinorum, tormenta, oris foetorem, pavorem in somno, appetitus varia, vitia, alium modo adstrictant modo fluentem, nutritionis & virium decrementum. Grauiora aliqua sunt quae vel a lumbricis manifeste effecta, vel illorum sopia saltemi culpa quibusdam euenerunt. Multis convulsiones epilepticas attulerunt, aliquibus mentis aberrationes: nonnullis iliacani passionem, cardialgias syncopticas: sunt quibus perforatis intestinis mortem cum convolutionibus induxerunt: quod triste fatum mihi carissimum fraterculum trium annorum, antealtem alacrem & sanissimum intra duos dies, cum convolutionibus, abstulit, in cuius intestinis tenuibus grassatores isti, numero duo, rubra linea per totum dorsum notati, fuere deprehensi. Aliquis postquam intestina perruperant, aluum insuper

perforarunt & vel per umbilicum, aut per inguen, tan-  
tum non semper dextrum, exiuerunt, superstibus qui-  
busdam tantæ lœsioni, aliis mortem inde incurribus  
satis miseram. Vbi cum morbis chronicis, malo hy-  
pochondriaco & hysterico societatem ineunt, omnia  
grauiora faciunt, motusque iam exacerbatos mirum  
quantum magis exacerbant. Si cum acutis morbis ad-  
sunt, illos propria sua indole grauiores faciunt, preci-  
pueque turbant exanthematicorum placidum decursum,  
intempestive excitatis doloribus spasticis, diarrhoeisque,  
quibus vnicce salutaris diapnoe interumpitur, omniaque  
in deterius ruunt. Grauidis sœpe abortum lumbricos  
induxisse ab auctoribus conimmemoratur.

§. XI.

Ex tanta diuersitate fatorum, quæ habuerunt ho-  
mines lumbricos gerentes, facile cognoscitur haud vi-  
que quoque certissima signa suppetere, quibus præsentia  
corum certo cognoscatur. Probabiliter quidem colli-  
gere ex multis possumus, subesse posse infestam hanc  
pullitiem: sed nullum tamen est certius, quam si per  
alium exenteis oculis conspicimus, & ex molestiarum  
continuatione colligimus plures debere superesse. Hoc  
non solum de lumbricis valet, sed de aliis quoque ani-  
malibus, docere potest casus foeminae Memmingensis,  
quæ per integros XVIII. annos medicorum industrian  
fatigauerat, quum nemini in mentem veniret de ranis  
cogitare: qui in annalibus physico - medicis Kanoldia-  
nis integer legitur. Facile possem afferre exempla, par-  
tim ex documentis editis cognita, vbi de vernibus a-  
liisque bestiis præsentibus cogitatum fuit, sed euentu  
spem & promissa destituente. Tanto minus desideran-

*Signa lum-  
bricorum fa-  
tis sunt in-  
certa.*

dum videtur ut signa certa afferam, quibus aliqui accuratissime dignoscere volunt sintne lumbrixi teretes, an lati, & quæ latorum species, vnde id pendet quod ægroti facessit negotium & molestiam. Sed nimis iam diu theoreticis occupati fuimus, quare tandem progredimur ad curationem tam infestis hospitibus, quo hominem deferant, & cum sanitate in gratiam redire per mittant, debitam.

#### *CAPVT IV.*

### EA PROPONENS, QVÆ EXPELLENDIS LVMBRICIS, ALIJSQUE INFESTIS VEN- TRIS HOSPITIBVS, CONVE- NIVNT.

#### §. I.

*An detur  
prophylaxis  
& lumbricis.*

**C**VRATIO est vel *prophylatica*, qua anerimus ab homine instantem morbum, vel *therapeutica*, qua præsentem iam expellimus & hominem ad integritatem pristinam valetudinis, per omnia artis præsidia rite adhibita, reducimus. De vtraque dispiciemus. Et primo quidem quæri potest deturne prophylaxis ab hoc graui morbo, quo viui circumgerimus ingrata animalia, tortores corporis nostri, eiusdemque, si qua eos causa irritauerit, destructores futuros. Et sunt sane quædam doctrinæ, quas superius attingimus, ex quibus directe & necessaria consequentia sequitur, neminem sibi posse immunitatem ab his bestiolis promittere. Nam si, secundum HIPPOCRA-  
TEM,

TEM, congeniti sunt foetibus in utero conceptis: si, secundum THEOPHRASTVM ERESIVM inter gentes haec differentia intercedit, ut aliæ certos lumbricos gerant, aliis nunquam innascantur: si denique nullibi extra hominum aut animalium corpora inueniuntur tæniæ, & lumbrici teretes humani a terrestribus multum diversi sunt: eodem ipso cognoscitur semina illarum bestiolarum aut ouula extra hominem obseruari non posse, adeoque frustaneam esse omnem curam, ne in hos veniant cum ouulis inter esculenta & potulenta delitescentibus. Si porro certum est epidemiam aeris constitutionem ad lumbricorum epigenesin celerime valere, neque hic appetet, quo pacto auertere aerem, quo carere non possumus, liceat, aut ab aere necessario sequestrare illud, quodcumque sit, quod ad generandam pullitatem inimicum valet.

§. II.

Quo ipso cadit quicquid sollicite præcipitur de incongrua voracitate puerorum & infantum, tamquam causa lumbricorum, coercenda: nihilque aliud relinquitur, quam caueri forte posse ne oua ranarum, bufenorum, & limacum, ut & hirudinum foetus, cum aqua aut acetariis in nostrum corpus deferantur. Si plurimum circumspetionis adhibere volumus, etiam illud relinqueretur, ne decumbamus eodem lecto cum homine lumbricis latis, cucurbitinis impleto. Nam si tam facile per anum, eiusque sphincterem, lubricitate sua penetrant, & per membra hominis & lectum oberrant, posset fieri ut oberrans talis bestiola æque facile in hominem sanum irrepat, seseque ibidem eadem

*Quo iure illa relinquatur.*

G 3

fœcun-

fœcunditate, quam superius ostendimus, multiplicantur. Enim uero quum theoriam de lumbricorum ortu nondum satis liquidam & indubiam esse supra concesserimus, neque videmus cur reprobare illam cautelam debeamus, quæ moderationem in viatu præcipit & præcipue primam ætatem ab incondita voracitate prohibet: præsertim quum ad reliquam valetudinem tuendam plurimum præsidii in temperantia positum esse persuasissimum habeamus.

### §. III.

*Remedia non ex qualitatibus manifestis, sed experimentis discenda sunt.*

Remedia, quibus tam ingratos hospites oppugnamus, vocantur *anthelmintica*, cuius nominis ratio ex primo capite satis patere debet. Eaque consideranda sunt, quatenus in hominem agunt, & quatenus corpus animalis peregrini, humano longe utique tenerius, afficere verosimile videtur. Ac cum lumbricis quidem varia experimenta instituerunt viri celeberrimi REDVS & CLERICVS, ex quibus discimus, quid præaliis facile ferant, quid minus tolerent, a quibus citissime & celerrime enecentur. Docent hæc experimenta illud in genere, quod ad unam aliquam generalem regulam haud facile reuocari singula possint, & quod multa ad nostros omnes sensus sic satis conuenientia in effectu ad vermes relato mirum quantum diuersa deprehendantur: adeoque agnoscit aliquid specificum debeat, quod sensibus nostris non quidem manifestum, illa animalcula efficacissime aggreditur. Sic lac commune e vaccæ vberibus recens eductum, omne lumbricorum genus blandissime fouet & ad multos dies viuos alacresque conseruat, modo prouideatur ut dulce maneat, adeoque identidem mutetur: sed emulsiō ex amy-

amygdaлиis dulcibus & seminibus frigidis, pineis etiam  
& pistaciis facta, qua lacti nihil magis est simile, eos-  
dem cito enecat, praeſertim ſaccharo edulcorata: vt  
vix excogitari inter blanda & noſtre naturæ amica poſ-  
ſit certius & citius remedium hac ipſa emulſione co-  
piouſus data & continuata.

§. IV.

Ab omni fere æuo creditum deprehendimus, quod *Antihelmin-*  
*amara* ante omnia alia auerſentur lumbrici. Experimen- *tica amara.*  
ta itaque docuerunt diuersissimam vim amarorum, quæ  
ad ſenſum conuenire videbantur. In decocto centau-  
rii minoris ſaturato, & aqua ab aloe diſſoluta amarif-  
iūm ſaporem naſta, vitam per triduum protraxerunt  
lumbrici teretes. Decoctum absynthii vltra XXIV. ho-  
ras viuos conſeruavit, quum longe citius morerentur in  
decocto colocynthidis. Decoctum ſeminis ſantonini-  
ci intra octo horas vitam auferebat. Sed illa aqua,  
eui trifolium fibritum fuerat incoctum, intra duas,  
ad ſumnum quatuor horas necem inferebat: ſuppar  
huic fuit virtus emulæ campanæ. Paullo lentius, poſt  
quinque ſcilię vel ſex horas, interfecit decoctum tana-  
ceti, marrubii albi, matricariae vt & rutæ. Decoctum  
granorum coffe molitorum æque cito perimebat, ac  
illud absinthi. Quis non videt infuſum coffe longe  
minus eſſe amarum absinthio aut aloe: hanc tamen fu-  
perat, illam æquat viribus antihelminticis. Si graue-  
lentia aliquid tribuimus, illa absinthio, ſemini ſantonini-  
eo, marrubio, tanaceto ſuppar: cur vero non ſuppar ſed  
multum diuersa virtutis celeritas. Et cur trifolium fi-  
brinum, minime olens cetera omnia vicit? Illud et-  
iam notabile, quod tam illa quæ celeriter necauerunt,

quam

quam quæ tardius, cuticulam lumbricos ambientem prius in vesicas extulerint & deinde successiue abstulerint.

## §. V.

*Dulcia* laudant alii, postquam celeberrimus REDVS effectum mellis pauca aqua diluti conspexit, a quo intra viginti minuta perierunt lumbrici: mustumque generosius immisso illos horæ dimidiæ spacio interfecit. Quo viso etiam succos fructuum horæorum experimento subjecit, eosdemque commansos in ore super eos magna copia injectit, ut poma, pira, cerasa, mala armenica, persica, pruna, fraga, similemque effectum, lumbricis vtique deleterium, conspexit. Ex quo conspicitur tantum abesse ut talium elu seuere interdicendum pueris animalium pullitie infestatis, ut potius pro optima medicina imperari illis debeant. Similiter decoctum polypodii post octo horas interermit immisso lumbricos. Ne vero existimemus omnia dulcia promiscue id facere, non omissitudinem est quod decoctum glycyrrhizæ eos diutissime viuos conseruauerit. Etiam consuetudinis rationem hic non esse negligendam existimauerim, quum lumbrici ex homine in vino per tres integros dies vitam degere possint, terrestres breui emoriuntur. Et sane lumbricis nemo laboraret in illis tractibus vbi vinum quotidie potatur, si certum esset illorum remedium. Ita etiam cum aliis hujus generis dulcibus fieri existimare licet. De melle observationem, ut videli potest, contrariam inuenimus *Act. physico-med. A. N. C. Vol. II. obs. 144.* vbi iuuenis rusticus fistitur, pro ientaculo melle ac pane diu usus, qui in virium notabile decrementum mox incidit, tandemque eo peruenit, ut post leuem

*Antihelmin-*  
*tica dulcia,*

leuem & breuem corporis motum illico in syncopen incideret. Huius ægritudinis causa inuenta fuit, quum ab vsu infusi purgantis prodirent vermes albi, instar millepedum aut scarabaeorum: quorum ortum ex ientaculo diu consueto fuisse nihil dubitauit ipsemet ægrotus. Enim uero scarabæi hi vndicunque orti, potuerunt ab esu mellis turbati fuisse & commoti. Quicquid autem statuatur de illis, non valde feriet assertionem de lumbricis prolatam, quum alia possit vtriusque generis ad mellis naturam subesse relatio.

§. VI.

Oleosorum magna virtus in enecandis lumbricis esse *Anthelmintica oleofera.*  
deberet, si eadem horum esset ratio, quæ est infectorum in libero aere viuere ad suorum. Quippe de his MAL-  
PIGHIVS obseruauit, quod oleo tacta, tanto magis perfusa, maximopere lœdantur immo emorientur. Sed REDI experimentis edociti sumus, minus ipsis oleum & omnia pingua nocere. Quin magno studio composita olea contra vermes, passim celeberrima, experimentis adhibuit, quibus impune peruncti perfusique satis diu durauerunt. Sed penetrantiora illa olea sulphurea & bituminosa, vt petroleum, oleum succini, omniaque aromatica ætherea, nec non per descensum destillata illa ex lignis iuniperi, betulæ, buxi, coryli minime ferunt, quin si paucas eorum guttas vitri fundo instilles, atque lumbricos immittas, paucis momentis conuulsi morientur. Manifestum hinc est non tam oleosas partes ipsis aduersas esse quam sulphureo-bituminosas cum salinis penetrantissimis arctissimo connubio sociatas. Neque solum graueolentia illa oleosa grauissime ferunt, verum etiam suauolentia quædam vt aquam rosarum,

H

florum

florum aurantiorum, quorum contactu maiores intra breve tempus ascarides ipso momento emoriuntur. De aquis vero dubium esse possit, an solius odoris efficacia id præstiterint: quum aqua graminis radicum destillata idem præstiterit: & de rosarum aqua notum sit quam raro sine cupri contagio transfillet, insuperque virtutis cathartice multa documenta sæpius ediderit.

### §. VII.

#### *Anthelmin- tis salina.*

Præter cetera insigni laude celebrantur *salina* ad omne noxiorum animalium genus exturbandum. Salsedo enim non solum tenera eorum corpuscula vndique agreditur & vellicat, vt retrofugere cogantur, verum etiam ipse sapor contentis intestinalibus inde impressus videtur ea ladedere. Efficaciam salis culinaris plebs etiam nouit, quæ subinde potum largum murice, fontium salinorum infundit pueris lumbricis obnoxii, vnde satis cito expelluntur. Ad fontes soterios multi eiiciunt animalia, quæ in ventre suo hospitari vix suspicati antea fuerant. Illustris DN. PRÆSES, Patronus ac Præceptor æternum venerandus, sæpius mentionem huius effectus fecit in aureis suis scriptis, quibus usum aquarum & fontium salubrium docuit. Quare fons Sedlicensis, eiusque sal amarum catharticum, præcipue celebrari etiam hoc nomine soleat. Idem faciunt salia cathartica ad imitationem eorum arte parata, vt sal mirabile *Glauberi*, Epsoniensis æmulum, a destillatione spiritus salis communis cum oleo vitrioli residuum, debita industria paratum, ceteraque salia media, vt tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, quin ipsum nitrum, modo sufficienti quantitate dentur & subiungatur

tur multus potus, egregie exturbant infestos ventris incolas. Qui ad mare habitant, marinam potant: qui vilitatem remedii adsperrnantur, ex ostreis recentibus aquanā marinam colligunt & ebibunt: quin multi, qui ostreas cum aqua sua, adiecto limonum succo & pipe-  
re largius assumserunt, ex his iunctis oprātam opem con-  
sequuti sunt, vt scilicet expulsis noxiis bestiis a marco-  
re pristino liberarentur.

## §. VIII.

Potentius omni alia medicina lumbricos aggredi-  
untur & exterminant *salia vitriolica*, seu metalla salibus  
acidis soluta & in formam salinam cum illis concreta.  
*Anthelmintica salina vitriolica.*  
Hæc inter laudem in primis meretur illud quod ex ferro  
factum est & martiale audit, quod siue in puluere detur,  
siue in forma liquida tincturae martis nomine, siue deni-  
que in corpore enascatur, limatura assumta & a nostris  
menstruis soluta saepe chronicos & abstrusos morbos  
percurat, expulsis, de quibus vix cogitatum fuerat, lum-  
bricis omnis generis. Laudabo in hanc rem vnicam  
recentem obseruationem ex D. D. WERLHOFII obser-  
nat. de febris. pag. 140. sequent. vbi femina a febre in-  
termittente nuper curata, ante vero pathematibus hy-  
sterico-hypochondriacis vexatissima sistitur, cui post  
martialis adhibita primo ascarides plurimi, magno cum  
leuamine fecesserunt: sequebantur sub vsu Pyrmonta-  
narum aquarum multi cucurbitini concatenati: tan-  
dem magna tænia, quam vir doctissimus solium fuisse  
existimabat: quo facto incantamenti instar ab omnibus  
pathematibus pristinis liberata tuit. Abstineo a pluri-  
bus auctoribus nunc laudandis, & aliquid subiungo de  
vitriolo lunari, seu crystallis lunæ BOYLAEI, quarum

H. 2

con-

confectionem docet celeb. D. D. BOERHAAVE in *chemia* tom. II. p. 467. vsumque ostendit pag. 468. Inter alia vero commendat ad necandos lunubricos, tanias, ascarides. Salina vitriolica ex hydrargyro, præter mercurium dulcem, sunt periculi plenissima: hic vero omnium maxime prosumt, si vsus cum debita cautione instituatur.

## §. IX.

*Anthelmintica acida mineralia.* Etiam *acida præsertim mineralia*, vt ros vitrioli, clystus antimonii, illæque tincturæ vegetabiles cum aquo menstruo factæ & acidulatae, sèpius expulsis lunubricis graves turbas compescuerunt, vt epilepsias aliasque motus exacerbatos: putoque propter hunc euentum meruisse in classem antiepilepticorum transscribi, perinde vt etiam vitriolum ipsum. Suecis acidis immersos lunubricos sati cito perire vidit sèpius laudatus REDVS, vt aceto vini, limonum, & citriorum pomorum: sed citius in limonum ac aurantiorum dulcium ex Lusitania aduetorum, succis. Conuenit talium acidorum usus vel hoc anthelmintico etiam vsu in morborum exanthematicorum initii, quo mature exturbati, si qui adsunt, periculosi hospites tanto placidiorem morbi progressum fieri permittant. *Confer. b. D. D. WEDELII amenitat. mat. med. p. 365.*

## §. X.

*Anthelmintica empyreumatica, & volatilia vinosa.* Spiritus etiam empyreumatici & volatiles *vinosi*, sèpe expellunt noxia animalia, quæ anthelminticorum aliorum usum longo tempore contempserant. Sic spiritum cornu cervi fugandis lunubricis commendat HARTMANNVS in *praxi chymiatrica*, cui liquorem C. C. lucinatum licet substituere, præsertim quando turbulentiores

tiores hospites graues & conuulsuas turbas faciunt. Credo oleum animale Dippelianum huic quoque fini non male inferuiturum. De spiritu salis ammoniaci annis scio, quod in semina Memmingensi, quam supra attigimus, omnium præcipue adorsus fuerit ranas, quæ per XIIII. integros annos miseram omni tormentorum genere vexauerant. Dederat enim medicus doctissimus D. D. WOGAV, a quo remedium raucedinis petierat, linetum ex syrupo violarum, oleo amygdal. dulcium, spermate ceti & hoc spiritu: quo assumto, in diros motus antea quietæ bestiæ consurgebant, tandemque per anum discedere cœperunt: qua fuga capta prodiderunt se. Vir prudens jussit instare eadem mixtura, subiuncto que cathartico commodo uno die ad sanitatem integrum redixit feminam per tot annos dirissima passam.

§. XI.

*Adstringentia* quoque aliqua ab antiquo fuere in usum tracta & laudem consequuta ob rem bene gestam. Laudatissimus REDVS saturato infuso theæ indidit lumbricos, inque eo celerius vidit mortuos quam in decocto Coffe. Non autem erant cuticula exuti, vt ii qui in amaris exspirauerant, sed potius duriusculi, & velut amethystino colore tincti, vt appareret adstringitiis particulis contractos eos fuisse. Multa antiqui celebrant practici adstringentia, vt corticem radicis mori arboris, & mali punici corium, biftortam, tormentillam: quæ fere plerasque compositiones ad lumbricos ingrediuntur.

§. XII.

*Purgantia* pleraque a veteribus inter anthelmintica fuerunt relata: sed præcipue laudabant hoc scopo tur-

*Anthelmintica adstringentia.*

H 3

pethum

*Purgantia lumbricis aluerfa.*

pethum vegetabile: vnde etiam species diaturbith cum rhabarbaro frequentissime adhibebantur. In eius locum fere vbiique successit gialappa, quæ iisdem principiis, nisi benignioribus etiam gaudet. Non multum dispiciemus de reliquis ex longo catharticorum catalogo: eaque dijudicare secundum suum cuiusque principium, quo potissimum aduersari animalculis hisce posse videatur. Facile credo quemuis esse largiturum, vero esse simile ut quæ hominis tanti corpus tantopere commouet, mouere etiam tantilla animalia debeat, vt non mirum sit si vni alteroue modo eos adgrediantur & vel emori faciant vel fugam capeſſere cogant. Solent autem prudentes medici, quando oppugnant lumbicos ex superioribus aliqua præmittere & deinde subiungere catharticum, quod iam ante male affectos ab illis facilius exturbet & profliget: de quo deinceps prius dispiciemus.

### §. XLI.

*An sint anodina & nar-*  
*cotica an-*  
*thelminica?*

Si tam multa in aciem aduersus hæc animalcula educuntur, an in castris sola *anodina*, *opiata* & *narcotica* feriabantur? Immo vero & his partes sue in hoc bello iam olim assignatae sunt, & nec hodie exauctorata eadem volumus: quippe insidiis aptissima. Antiquus auctor CAELIVS AVRELIANVS castoreo vititur cum mulso. VALESCVS de TARANTA fere vbiique addit anthelminticis crocum, addita alicubi ratione: qui roboret & vermes occidit. Sed theriacam multi in curatione hac adhibere iubent. Scilicet ſæpe importunæ bestiæ gravissimos dolores ad passionem iliacam inducendam vel filum vitæ per conuulsiones inductas abrumpendum spectantes creant, quod præcipue fit quando intestinorum-

rum tunicas perfodere tentant. Hic moram illis indulgere neutiquam consultum est. Iuuat potius illico exhibere anodinum efficax, quod non minus homini doloris solatum, quam animali furibundo stuporem inducat. vt tantisper quiescat & torpeat, donec machinae adornentur idoneæ. Id vt in omni tali casu fieri b. WEDELIVS prudenter præcipit ; ita in hoc plane est necessarium ; longe enim maius damnum a duratione fæuorum tormentorum imminet quam a prouida medicinæ opiatæ dosi extimescere possit etiam is, qui se cau- tissimis in talium vsu annumerari desiderat.

#### §. XIV.

Supersunt multa, quibus practici medici in oppugnandis lumbricis multum tribuunt, quæ ad superius recensitas classes referre vix audeo, quamquam aliqua eorum modo ad hanc, modo ad illam tributa sunt. Ea percurram, liberum lectori permittens perpicaciori, vt quibusunque visum fuerit sociis ea adscribat. Sunt autem ex mineralibus *argentum viuum*, omnium practicorum scriptis celeberrimum, quod sub nativa currente forma exhibit HARTMANNVS, CHESNEAV, alii, aut mortificatum, vt loquuntur, alii cum limonum succo diligenter terendo, alii admixto sulphure in æthiopem, quem vocant mineralem, mutando. Rursus alii præferunt, quem supra attigi, dulcificatum mercurium, alii decoctum cum aqua paratum exhibent. Commodissimum ac tutissimum modum equidem puto illum, si cum sulphure mixtus adhibetur, cuius præstantiam GVALTHERVS HARRIS de morbis infantum pulcro exemplo comprobat. *Amygdalas amaras* & ex iis paranda sorbilia, quæ Græci *τροφήματα* vocarunt,

*Antihelmin-*  
*tica spesi-*  
*ca.*

com-

commendat CAEL. AVRELIANVS: alii *flores perficorum* indeque paratam essentiam & syrum magni faciunt. Ut aliquam attentionem isti commendationi adiiciendam putem, facit quod in amygdalis amaris & perficis inuenio, esse certis animalium generibus valde deleterium, ex quo suspicor fieri posse ut porro experiendo deprehendamus certum alium usum. Ceterum de amygdalis, cum quibus perficorum nuclei conueniunt, ad emulsionem parandam adhibitis supra dixi; illud tantum nunc addo TYSONIS tamen tali emulsione esse expulsam: vbi videndum an iustius ille effectum bonum seminibus cucurbitarum adscriperit, an tribuere debuerit amygdalis ad eandem emulsionem adhibitis.

### §. XV.

*Plura huius  
generis.*

Sunt quoque alia multum commendata, quorum rationem haud facile assequimur, ut radices filicis & graminis, hypericum, corallina & cornu cerui usum: quare quicquid de eorum vero effectu constat, sola empiria nisi videtur. In corallina quidem alii intuentur falso marini adhærentem saporem, alii subadstringens terreum principium: quæ tamen nulla tam sunt manifesta, ut non manifestiora in aliis inueniantur, quæ huic usui nemo commendavit. Filicem cum hyperico eadem virtus antimagicorum catalogo inseruit: quum sœpe malis artibus adscripti morbi cessauerint, lumbri-  
cis expulsis. Qui cornu cerui alcaliui quid tribuunt, videant quo modo requirenti id probaturi sint. Superfedeo ceteris, quorum magnus est numerus, usque ad betam & portulacam, insipidissima utique, adducendis, ne

ne si oninia consectari voluisse videar, de medicinis lumbricorum ex ipso lumbrico sumendis dicere cogar.

§. XVI.

Superest, vt in tanta remediorum sylua de selectu & prudenti subordinatione eorum paucula dicamus. Ficri autem saepe solet vt aduocemur ad ægrotos, quorum præsens quidem status multas de lumbricis aut aliis intestinorum animalibus suspicandi causas offert, sed ad plenam certitudinem sufficientia signa nondum inuenimus. Tali terum statu nihil confultius est, quam curationem ordiri ab iis, quæ communiora sunt, & in quo-uis morbo non acuto locum inueniunt. Scilicet præscribenda sunt digestiva, resoluentia, per epicrasin laxantia, glandulas & solatoria omnia aperientia. Sic nobis campus aperitur amplissimus admiscendi talia, quæ infestos hospites male habeant, & vel unum ac alterum, qui reliquorum proditor sit, eliciant, vel uniuersos simul eiiciant. Si sint pueruli, quibus non possunt quævis ingeri, facile admittent æthiopem minerali cum saccharo permixtum: si paullo adultiores eundem cum C. C. vsto vel sine igne præparato & saccharo: aut mercurium dulcem cum æquali pondere pulueris radicis gialappæ & saccharo: quod ultimum laxans etiam in atrophicis & plerisque puerorum affectibus æthiopis usui post tertium vel quartum diem iuuat interponere.

§. XVII.

Adultis & virilem ætatem adeptis, ubi suspicamur de lumbricis, dari per aliquos dies possunt pulueres digestivi salini: deinde salis cathartici Anglicani vel mirabilis Glauberi vncia una in sufficienti quantitate aquæ

I

solu-

b) in adulta  
ætate.

soluta detur, subiungaturque potus vberior aut sal E-  
granum, thermarum Carolinarum, Sedlicense & similia  
cum aqua Sedlicensi adhibeantur. Si salina displicant,  
fiant infusa ex herbis & radicibus, quibus limatura mar-  
tis itingatur, vinumque cum aqua graminis extractioni  
adhibeat: hæc inter locum inueniunt radices grami-  
nis, filicis, polypodii, trifolii fibrini, fol. sennæ, rhabar-  
barum & plura, quæ lumbricis aduersa sunt: qui si se  
certius produnt, deinde directe porro erunt oppugnandi.  
Si tempus non permittit longam per infusa talia  
medicationem, licebit breuiori via per puluerem absor-  
bentem WEDELII, aliquod successiue diebus exhiben-  
dum, præparare ægrotum, deinde eum purgare pilulis  
mercurialibus cum extracto panchym. Crollii factis, ad-  
iecta resina gialappæ & grano uno vel altero trochisco-  
rum alhandal. Mire pertinaces sint oportet lumbrici,  
qui non tali curatione ad prodeundum aut proprius se-  
prodendum compellantur.

### §. XVIII.

*Quomodo  
diris sym-  
ptomatis  
occurrentium  
sit.*

Accidit sæpe vt homines simul ac semel grauibus  
symptomatis corripiantur, vt cardialgia syncoptica,  
torminibus vehementissimis cum vomendi conatibus  
ipsoque vomitu crebro, vt res omnino ad passionem  
iliacam spectet: vbi vel suspicamur subesse vermes, vel  
satis certi id scimus ex eo, quod sæpius ante, aut nunc  
sece conspicendos dederunt. Tali statu nihil fere cer-  
tius est, quam effractionem meditari teretes lumbricos,  
a quacunque causa ad furorem actos. Tunc alterutro  
opus videtur, vt vel illico efficacissimis remedii perni-  
ciem bestiæ paremus, vel eandem torpidam languentem-  
que reddamus. Prius tentare vix quisquam audebit,  
nisi

nisi certissimus sit in ventriculo aut superioribus intestinis eas hærere, & nondum omnino peregisse, quod moliuntur. Fugari autem sine mora oportet multa aqua salsa infusa, non valde diluta; siue simplicem muriam velis, siue sal ex saepè commemoratis catharticis mediisque amaris. Licebit subiungere dosin non minimam olei cuiusdam penetrantioris antispasmodici, ut animalis Dippeliani vel petrolei; aut liquoris C. C. succinati, aut similis. Interea paretur decoctum ex optimis anthelminticis, quo sal assumptum diluatur & lumbricos per intestina fugam capessentes subsequatur. Si non licet tam generose infistere, illico configiamus ad ea quæ feram bestiam placant, lac dulce tepidum, cui subiungamus anodinum, vt laudanum liquidum *sydenhami*, vel aliud quocunque familiare: deinde ad mercuralium ysum veniamus, quibus incauta ac languentes vel enecentur, vt cathartico accommodato subigi expellique possint. Hæc inter non negligere utique oportet externa, qualia parantur ex alliis, cepis, variisque aliis, vmbilico imponenda. Enema iniciatur ex laete omnino dulci. Nam si verum est, quod alia lumbricis adversa sint, male utique & periculose ipsis prope exitum obiicietur, quo territi resistant vel reuertantur. Eademque ratio dissuadere debet omnia alia ingrata & anthelmintica clysteribus indenda, dum superne eos propellimus.

## §. XVIII.

Non raro accedit ut *inxpectata* eueniant, dum *fugient*, & loco purgationis per aluum vomitus orientur, in *lumbricorum* quibus noxia animalia fugiunt. Eius rei exemplum curatio. ne,  
plum habemus. *Ephem. Ac. N. C. Centur. IV. obseru. 140.*

I 2

Memi-

Memini casus ab Exc. D. D. SCHVLZIO relati, quod puero decem annorum puluis laxans ex mercurio dulci & radice gialappæ datus vomitum attulerit, qui parentes non modice terrebat. Suffocatio enim omnino imminebat puero, quum impactus gulæ lumbricorum glo-  
mus multa viscida materia obuolutus tarde procederet. Et forte succubuissest puer, nisi ipsum pedibus appre-  
hensum tenuissent, & mater dorsum manibus concus-  
sisset: quo facto semiueci pueru vita redit, elapla per  
os faburra tenacissima ranarum spermati simillima, cui  
maiores minoresque lumbrici erant permixti.

## §. XX.

## Epilogus.

Quando lumbrici cucurbitini vel solitarii, vel in catenam iuncti, longo annorum decursu secedunt, satis vtique otii præbent medico experiendi vires eorum, quæ his seorsim expugnandis valent: quæ ex D. D. CLE-  
RICO vel aliis, vnde ipsem defunxit, facile quisque addiscet. Quo minus immorari his nunc volo, quum iam nimis ultra modulum dissertationis excruerit hæc com-  
mentatio; multaque sint, quæ pedem hic figere, & in patriam suscipiendo itineri accingere me cogunt. Eademque ratio efficit, vt vnum alterumque casum no-  
tabilem de lumbricis per abdomen, & tantum non semper per umbilicum aut inguen dextrum, iter sibi pa-  
rantibus nunc premere cogar, measque de hoc euentu  
meditationes ampliori otio reseruare. Deum veneror  
vt porro meis adspiret conatibus, & a studio Doctoribus  
academicis per septem annos nauato ad artis exerciti-  
um transituro eos largiatur successus, vt, quod vnic  
opto, ipsius gloriae & ægrotantium solatio  
plurimum inservire valeam.

FINIS.

CLARISSIMO  
DOMINO CANDIDATO  
S. P. D.  
P R A E S E S.

**M**edendi scientia sicut summa in his ter-  
ris sapientie inter mortales pars est;  
ita plane singulare & a benigna natu-  
ra ad hoc studium comprehendendum  
natum & aptum, minime vero vulgare ingenium re-  
quirit. Nam cum plures sint artes, plures discipli-  
nae & scientiae, quibus homo, ut e corrupto suo, in quem  
ratione mentis & corporis post lapsum coniectus est,  
statu, emergat, opus habet; tum summam & divinam  
prudentiam ac sapientiam satis non possumus demi-  
rari, quod ad varii generis doctrinas & capiendas  
& excolendas diversas & aptas formaverit hominum  
propensiones. Quibus singulis si accommodata & fi-  
delis accedit institutio, & indefessa industria, una cum  
sufficienti atque opportuno ad discendum tempore; Vi-  
ri utique ad iuvandam & promovendam communem  
salutem in republica exsurgunt utilissimi. Ad artem  
itaque Medicam, que omnium praestantissima, recte  
perficiendam peculiare & selectum etiam ingenium.  
quod ad abdita, qua in corporis humani natura &

*firatura, atque in rebus non naturalibus, quæ vitam &  
sanitatem tuentur, & mentem sanam in corpore sano ef-  
ficunt, sepe produnt, investiganda, contemplanda  
& dijudicanda idoneum existit; quod tolerantia quo-  
que laborum in faciendis experimentis, visitandis quo-  
que & adiuvandis agris, omnibusque morborum cir-  
cumstantiis aequa ac remediorum effectibus probe obser-  
vandis, affuetum sit, omnino requiritur. Quale si ego  
in juventute, qui instinctu parentum vel aliorum ductu  
huic scientia se dicavit, animadverto, in sinu gauden-  
re soleo; pricipue si illud ipsum optima doctrina & institu-  
tione, indefessa industria & temporis, quod ad matu-  
ritatem studiorum obtinendam sufficit, iusto spatio de-  
bita ratione excolatur & perficiatur. Cum itaque in TE  
Clarissime DOMINE CANDIDATE hec omnia a  
sapientissimo etiam artis Medicæ conditore I. de lege  
desiderata, animadverterim; non possum, quin & TI-  
BI & Patriæ TVAE eximie gratuler. Nam vidi do-  
cile in TE & sagax ingenium, vidi per integros se-  
ptem annos TVVM discendi in hac Academia ardo-  
rem, ac indefessam operam, cuius & præsens TVA,  
cui nec quidquam de meo adieci, dissertatio testis est:  
Denique magnum atque ingenium me præente in artis  
exercitio juvandi agros. conatum summamque  
morum honestatem, & optimam vitæ rationem, qua  
omnibus & singulis TE commendasti, non sine  
animi voluptate perspexi; ut hinc & Rei publicæ*

5

Et saluti miserorum agrotantium Et Patriæ a TVIS  
egregiis studiis fructus amplissimos Et uberrimos non  
sine ratione pollicear. Deus TE servet diu salvum  
atque in columen, Et omni felicitatis genere TVOS in  
artis opere labores beat atque fecundet. Vale. Dab.  
Hal. d. I. Maii. 1734.

GENEROSO NOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE  
**DN. SAMVELI A DRAVTH**  
CONTERRANEO SVO HONORATISSIMO

S. E. O. D.

**MARTINVS SCHMEIZEL**  
Sac. Reg. Maj. Prussicæ a Consiliis Aulicis, Juris  
Publici ac Historiarum Profess. Publ.  
Ordinarius.

**E**X quo, urbe illa, in qua uterque nostrum in-  
cunabula habuit, relicta, in exteris oris, di-  
vina sic disponente providentia, aquam  
Et auram baurio, sapius gratulandum ci-  
vibus fuit, nunquam vero conterraneo. Non est hu-  
ius loci, AMICE CHARISSIME, in causas inquir-  
ere; sufficit dixisse, singulari sic evenisse fato, ut hoc  
officii genus Et affectus mei testimonium, TIBI, ut pri-  
mo Et dignissimo ex Coronensibus meis, reservatum es-  
se debuerit. Vix igitur calamus describat, quanta  
cum voluptate hanc ego in me suscipiam provinciam;  
neque

neque id sine rationibus, que & private & publicæ penesme sunt numero plures; Publici, b. e. patriæ charissima causa gratulor, & quidem ex animo, quod clarum apud nostros & testatum TIBI genus. ex quo tanquam ex radice TV ramus, succum virtutis & melioris animi traxisti, egregie non solum sustineas, verum etiam singulari TVA eruditione, quam septem annis, in hac optimarum artium sede, comparasti, novo splendore ornaveris: cuius luculentum specimen esse potest Dissertatio TVA inauguralis, quam ex catbedra publica in eruditorum panegyri laudabiliter cum successu defendisti; privatim & intra pectus meum mibi gaudeo, de conterraneo tam docto & egregio, qui ad omnia honesta, summa cum industria sese dedit, proinde novum civibus ornamentum conciliavit; que singula cum accuratori mentis oculo intueror, eo majori perfundor letitia, quo tristiora nobis subinde obvenerunt exempla civium, nomine hoc & appellatione indignissimorum. Maecē igitur GENEROSE DN. CANDIDATE, virtute TVA, & fruere honoribus quam diutissime, quos judicio & suffragiis illustris Medicorum ordinis TIBI firmatos habes; ingredere iter sub tutela altissimi, sospes ac integer, eoque feliciter absoluto, matri charissimæ, matronæ omnibus virtutibus decorata, letitiam & gaudium adfer: ac demum, quando & publico prodeesse tempus illuxerit, numine supremo jubente & annuente fiat, ut omnia  
TVA

*TVA conamina exoptatos sortiantur eventus: id quod  
ex animo precor atque utero; spondeoque, nominis  
TVI familiæque TVÆ mémoriā, non nisi cum mor-  
te apud me interitur am fore. Vale, & multam salu-  
tem Coronensibus nostris a Coronensi vestro nuntia:  
In Academia regia Halenſi A. O. R. MDCCXXXIV.  
Kal. Maj.*

**A**γριον Υδραι πέλαις Δάκευς, λυμήνειο Δρυ<sup>Θ</sup>.  
Πολλὰ Μυκήναιοις πήματα λυγρά Φέρου.  
Αμφιτρυωνάδης ἀπαρύνναι σεικά λογγίον  
Οξὺ δέρε πολεοῦ ήλιοθ' ἐρυτεῖμε<sup>Θ</sup>.  
Τῷ σοβερᾶς παισιν κεφαλαῖς ταχύ πτησίδοινα,  
Πάταις τριβέστας, αινοχέον ἐπὶ λαζόν.  
Μετψίδιον δὲ ἔνοπτε, πίνον καὶ ἔργον ἀληφίον,  
Αὐτὶ δυοῖν σρέων τέσσαρας Φύνια κάρη.  
Οὐχ ἄλις ὡδε σιδη<sup>Θ</sup>, ἔστι, σὺ δὲ βάσιν, θύ, Φλᾶγα  
Αιθομένης δαδίς, πᾶς φίλε, ωντα δίδαν.  
Τάς δισοῦ Φλωγὸς τε βιη ιρατεροῦ τε σιδίρου  
Νίκην, ΣΩΤΗΡΟΣ τ' αἰομα, κύδος ἔχει.  
Сοὶ μέτζον μηδῶντι τέρας, Φίλε, κύδος ὁ πυδεῖ  
Οὐνομά ται διδομεν Φέρτερον Ηρακλέους.  
Οὐχ ὑδραι κεφαλαῖς βριαρῆν μόνον εὐτὰ Φέρετος  
Μηρὶ ἔχον δὲ κάρη, δις δὲ τεσσάρες πόδες  
Χαῖρε πολὺ στό δ' αἰὲν ἔγω, φίλε ΔΡΑΥΘΙΕ, μνήμην  
Ασω τῆς φιλίας. ΗΡΑΚΑΕΟΥΣ τε κάρην.

Praestantissimo ac doctissimo DN. CANDIDA-  
TO honores summos gratulaturus, & gra-  
tias relaturus ab nummum argenteum, a  
Thasis in honorem ΗΡΑΚΑΕΟΥΣ  
ΣΩΤΗΡΟΣ cufum, quem dono eius possidet,  
approfuit

**IO. HENR. SCHVLZE**  
Med. & eloquentiae ac antiquit. Pr. P. O.  
K Ar-

Rfinœ TE non frustra peperisse refertur  
Vnde Machaonias de TE nisi nouimus artes  
Enixas anion de TE Podalirius ortus?  
Quis vtrisque suos orbis persoluit honores.  
Sed quid adhuc memoro Medicos, quos Græcia nutrit?  
Quum quid apud Danaos Podalirius arte medendi  
Præstítit, id Dominus de DRAVTH præstare putatur.  
Pœonii succi sapienter pocula miscet,  
Et nisi spernantur rapti Ganymedis honores,  
Hic Ganymedes erit; splendens Hippocratis arte  
Pharmaca mixta dabit, tollentur pectoris æstus,  
Compescet febres, hydrops, phthisisque recendent.  
Felicem patriam! te dicam iure CORONAM,  
Ecce coronatus redit ad te noster AMICVS,  
Quem tibi diuinis instructum dotibus ordo  
Pœonius mittit, lætis venerare trophæis.

*His paucis Clarissimum atque doctissimum Dn.  
Doctorandum, amicoruſ ſuorum pboſpho-  
rum, dimittebas*

DANIEL FRONIVS,  
Cor. Translit.

**S**EPTEM, Castaliæ fitior, ANNOS  
Et largæ bibo creber Hippocrenæ  
Insigni ſtudio doftarum ſacra fororum  
Edoctus pretiosam nunc *coronam*  
*Impigri recipis munus laboris,*  
Stringit & auratos ſtellata corona capillos.  
Quare lætitia plaudo, diemque  
Hunc & mensibus antepono & annis  
Quos TECVM medicæ ſtudiosus & æmulus artis

Iucun-

Iucunde potui faustos videre,  
Ad sint Aonides iuuentque terso  
Parturire mihi carmen TIBI nobile versu.  
Illos, quos cupidus Raëlis annos  
Duro seruitio tulit Iacobus,  
**T**V perfers SEPTENA tenens hic *frigora bruma.*  
Hinc SEPTEM, precor, ut SEPTEMQUE rursum  
Illæsus videoas viualisque *lustra,*  
Atque climaactericus magnus TIBI saxe recurrat.  
Centuplum videoas solare lumen,  
Donec TE socerum vocent auumque  
Nati natorum. Sic non morieris ut H.

*Candidato Clarissimo, amico dilectissimo astuta-*  
*tissimoque gratulabundus scribebat.*

ANDREAS SOTERIVS,

Cibinio - Transilv.

---

**D**ic quid in orbe magis recreet, quam carmine  
carmen  
Et ioca grata iocis, & dictis dicta resolui  
Seria: quapropter modulabor arundine musam  
Exili, ut late curuis in vallibus Echo  
DOCTOREM de DRAVTH resonet, qui pharmaca  
doctus  
Grata parare, nouem gnauus mox castra sequutus  
Mufarum, terras varias inuisit & vrbes,  
Vt patria sapiens amplissima commoda possit  
Ferre redux, tristesque sciat lenire dolores.  
Vade bonis auibus. Sic TE ducente Minerua,  
Quum solers fueris, iam premia digna reportes.  
Sic studio medicina TVO majore coruget

K 2

Lumi-

Lumine, posteritas sic TE celebrabit aperto  
Ore, precor felix vigeas! sic vota precesque  
Has cape pro merito dictas TIBI gratus honore,  
Meque TVOS inter ne sperne referre sodales.

*Clarissimo ac doctissimo Da. Candidato, Doctoris  
Gradum capessent, gratulabundus amica  
mente & manu adiecit*

IOANNES WALLASKAY  
*Neogr. Pestensis Pannonus.*

---

ELEGIA IN NVMERVM VII.

**Q**Vatuor absolvunt habitum, quo cuncta probantur,  
Asserti quænam nominis esse solent:  
Primus in his septem curat, septemque secundus,  
Tertius hunc numerum, quartus & ipse notat,  
Primus in hoc numero desudat cliva petendo;  
Est numerus cunctis septimus iste facer.  
Quid septem valeant, valeant ratione secundus  
Exponit, numerum lege probatque negat.  
Tertius observat vigili quem mente moratur  
Hunc numerum, vates saepe quod esse solet.  
Quartus si totus, septem sibi vindicat omnis,  
Qui ratione docet, quid sit & esse potest.  
Non scrutor septem, quia nunc alludere svadet  
Ad septem tempus, quod comitatur honos.  
Dulce natale solum, quam dulci nomine gaudes,  
Quod trahis a septem: Dulce natale solum.  
STIRPS GENEROSA lolum caruit TE dulce natale  
Tempora per septem, sed pietate memor.  
Tempora per septem facilis TIBI terra remota,  
Præfertim facilis clara Salana fuit.  
Æquator toties Phœbum bis ferre coactus,  
Quo in TE Galenus contulit omnis opes.

Hinc

Hinc TVVS HOFFMANNVS, merito TVA tempora  
cingit,

Hippocratem quem iam tempora nostra colunt.

Et facilis cingit, quia dudum cingere dixit

Mechanicus PRÆSES, Gamalielque TVVS.

De lauro merita toto TIBI pectore grator,

Laudibus atque TVIS tempora cuncta precor.

Præmia Virtutis, livor non destruet unquam,

Qui sicut vermes, noxius esse solet.

Illum perfacilis TVA mira peritia vincit,

Hi quantum valcant, sedulitate doces.

Horum virtutis TVA vis, vim cedere cogit,

Testantur specimen verba diserta TVVM.

Urbs inter montes septem sita, septima gaudet

Ex hac plus septem, TE redeunte canunt.

Si plus non fuerint, septem mihi crede futuros,

Quorum non primus, septimus ipse tamen.

Ut salvus possis septem transcendere colles,

Nunc TIBI DOCTORI Numen adesse velit.

*Quam impetrantis honoribus, Generosissimi Clarissimique Dn, Doctordandi, in perpetuam amoris tessera, gratulabundus adjicere voluit*

### JNFVCATÆ SINCERITATIS

CULTOR.

**S**Axificæ quandam squalebant ora Medusæ,

Sæuaque Gorgoneis adsibilabat hydris.

Perseus Acrisioniades hanc cæde péremis,

Gorgona præfecto gutture vîctor habens.

Perseus alter adest, proles illustris auorum

DRAVTHIVS exitium vermibus aere parans.

His velut Inachides celebri cum laude medetur,

Quod miscere aliae non didicere manus.

K 3

Ipse

Ipse salutiferas herbas succosque propinat,  
Suggerit hoc humeris, Harpe parata suis.  
*Perseus* esse potes, sis *Perseus* aureus atque  
*Gemmifer*, o Patrii sola medela soli.

*Accipe ea, amice suauissime, que Tibi, quem ex  
vinculo necessitudinis academicæ per breue,  
prob dolor! tempus, expertus es, offert*

**MICHAEL ERHARDVS HANER.**  
Media - Transilv. M. C.

**V**ermibus infectis Bauius vexatus ubique  
Pœoniam quæri jussit anhelus opem:  
Conuenere viri, Podaliria turba, Galenus,  
Clinicus Herodes, Symachus, Hippocrates.

Hi Bauii frontemque manu venamque retentant;  
Sed neque frons Bauii sed neque vena placet.

Ite citi vnamimes conclamant, ite liquores

Si quid habent herbæ, quærите, si quid habent.  
Continuo properatur. Adebat Aesclepius humor

Lecta que in Hesperiis herba cacuminibus  
Ignotæ veniunt alieno a littore vires,

Dulcis ab Hyblæ flore medulla venit.

Ecce redit, salicis *Illustris Doctor* ab oris

Patria, te visitat laurea ferta ferens.

Hippocrates talem, talem Machaon amicum

Nutriit, ut merito gratuler atque canam.

*Primitias has solemní Generosissimi sui Dn. Popularis*

*promotioni sacras esse voluit*

**IOAN. GEORG. de BAVSNERN,**  
Eques Transilv.

**S**ic TVVS *septem* renouatus annis  
Campus, o DOCTOR, grauidis aristis  
Canet, ex voto segetes opimæ  
Fœnora redditunt.

Ha-

Hactenus TEMET Lybicis agellum  
Areis parem coluisse notum est  
Iamque maturas resicas aristas

Falce perita.

Colligis flores manibusque Floram  
Accipis latam, Zephyritis ipsa  
Floribus Claro capiti coronam

Sertaque necit.

Hæc amicorum venerantur omnes  
Atque gratantur celebres honores,  
Quos TIBI sacrum diadema confert

Muneris instar.

Hoc simul præsto celebrande DOCTOR  
Ni mea tardus stipulam videbor  
Falce siccatam refecare velle.

Vive Valeque,

*Tenuis auena*

JOANNIS BRUCKNERI,

Cib, Trans, Sanct. Litterar. Cult.

**S**I quis in hospitio non tutus ab hospite viuit  
Heu cuius satum durius esse potest?

Corpus at humanum tali succumbere debet,

Robore qui, nec vi, pellitur, arte modo.

Ergo Doctor abi, Tua sic sapientia pellet

Omne, quod infestum ciuibus esse potest.

O reditus felix! in fronte Corona Coronam

Ingreditur. DRAVTHI vive valeque diu.


*Hac gratulatione ex Athenis Salanis  
aduolabat*

PETRVS CLOMP,  
Corona Transilv. S.S. Th. & Ph. St.

DRAV-

**D**RAVTHI, DRAVTHIADVM sors inclyta,  
cujus auitæ  
Indicium mores nobilitatis habent.  
Sic TVA sollicitat neglectam purpura musam,  
Surgat ut in laudes officiosa TVAS.  
Quum TIBI Palladiæ traduntur præmia mitræ,  
Quumque bene in docto vertice ludit honor.  
Exultat gaudetque suo de ciue Galenus,  
Quod melior curis stet medicina TVIS.  
Et laurum niueamque togam pro vermbibus offert,  
Quas labor & doctum promeruere caput.  
Induis has meritus, dum vasta volumina pernox  
Voluis, & assidua fersque referisque manu.  
Tales sedulitas peperit ratioque triumphos,  
Quæ sunt ingenii splendida dona TVI.  
Scande igitur celsas ciuiis generis cathedras  
Et peragat partes lingua diserta suas.  
Applaudit facilemque TIBI se prebet Apollo,  
Aequus & ex animo vota dedisse ferunt,  
**Vt TVVS ægrorum properans ad limina currus**  
Depositis possit ferre salutis opeim.

Paucula hecce Generoso atque clare docto Dn.  
Doctorando, ciui suo æsumatissimo, adjectis  
**ANDREAS FABRICIVS,**  
Sabeso - Translu. S. S. Th. & Ph. St.



halle, Diss.) 1734

UD 78

ULB Halle  
004 755 634

3





DISSERTATIO IN

# ANIMALIBVS CORPORVM HOSPI

Von denen Ba

QV

AVSPICE SVM

EX CONSENSV ATQUE A  
FACVLTATI

IN ALMA FR

PRAE

DN. FRIDERICO

ACADEMIAE ORDINISQUE  
ET h. t. D

PRO GRADV

SVMMISQUE IN MEDICINA H  
MORE MAIORVM RI

H. L.

D. Maij MD

PLACIDÆ ERVDITORVM V

AVCTOR RE

SAMVEL DE

CORONA - TRANSI

HALÆ MAGD

Typis Ioh. CHRIST. HILLI

